



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs V. Quo pacto atribuantur inuicem obiecta habituum
intellectualium, siue scientiarum habitualium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

CAPVT V.


Ex doctrina de subalternatione hactenus tradita quadam illationes.

33 **E**X hucusque dictis inferitur primò Conimbricenf. Hurtad. Fonsecam, alioſque plures eos ſecutos perpetam aſſignallè tres ſubalternationis ſpecies : primam ratione finis : alteram ratione obiecti : poſtremam ratione principiorum : vt enim vidimus, omnis vera ſubalternatio eſt propter principia, quæ diuerſa ſunt, in facultate ſubalternata, & ſubalternante, ſed mutuo tamen catenata, aliaque ex aliis deducta : quæ autem ſubalternatio eſt cauſa obiecti, & quæ finis ergo, nonniſi propter dictam principiorum dependentiam, & reſpectum ſubalternationis notionem participant : magis ergo eſt, vt ſubalternatio ratione principiorum ſit conceptus communis ſubalternationis alia verò duæ ex fine, & obiecto oræ ſint illius ſpecies, ac partes ſubiectiuæ, ſicut expoſuimus. Inferitur ſecundò, in hoc etiam peccaſſe prædictos auctores, quod multifariam diuiſa, ac ſubdiuiſa ſubalternatione, vt non magis diſtracta credideris membra Penſiteu, nullam tamen eius rationem communem aſſignarint : potuit enim aſſignari, vt viſum eſt, eaque vniuoca reſpectu duarum ſpecierum quibus ſolis, veras ſubalternationes eſſe permiſimus.

34 Inferitur tertio, tum aliquos horum, quos proximè retulimus, tum etiam alios, malè arbitratos eſſe fieri aliquando, vt tres conditiones concurrant ad vnā ſubalternationem veram conſtituendam, quarum prima eſt vt ſcientiæ ſubalternationi ſubiectæ conueniant eſſentialiter obiecto, ſecunda vt eo differant accidentaliter, tertia vt penes principia quendam originis ordinem ſeruent : hæc enim poſtrema ratio eſt ſola, & tota eſſentia ſubalternationis propterea, contrahitur autem per eam dependentiam, & originis ordinem, qui contingit ratione obiectorum, ſicut & per illum qui accidit ratione finium. Inferitur quare aduerſus Patrem Hurtadum, medicinam non eſſe partem Phyſicæ, ſed ſcientiam ei propriè ſubalternatam : eius namque ſubiectum non eſt corpus tempeſtatum, & eſſentialiter collocatum, ſub corpore ſenſibili in communi, quod Phyſicæ obiectum, in quo falſus fuiſſe videtur prædictus auctor, ſed potiùs corpus propterea extrinſecè ſanabile per medicamenta ſibi applicata : obiectum ergo illius accidentaliter, & per extrinſecum quendam reſpectum ſuperadditum diſſidet ab obiecto Phyſiologiæ, ſicut ad veram vtriuſque facultatis diſtinctionem, ac ſubalternationem oportet. Atque ita de vtraque ſentiunt Conimbricenſes in proœmio Phyſicorum quæſt. 3. art. 3. vbi pro ſe plerique medicos, ac philoſophos referunt. Inferitur quinto, aduerſus Pererium 1. phyſicorum cap. 4. ſanè ſcientiam ſubalternantem, & ſubalternatam conuenire vniuocè in ratione ſcientiæ : quod enim vna dependeat ab altera, id non tollit, quo minus vtraque ſit vera ac propriè ſcientia, ſicut ad vniuocam conuenientiam oportet, præſertim cum Deus, & creatura, accidens, & ſubſtantia, quorum dependentia, ac ſubordinatio longè maior eſt, nihilominus ſtrictè, & propriè ſententia, & quod conſequens eſt, in conceptu entis vniuocè conueniant.

35 Inferitur denique præter propriam ſubalternationem, quam ſtatuiſimus in duas diuiſam eſſe ſpecies, aliam reperiri impropiam, eamque multiplicem &

variā. Prima accidit, quando ſcientiæ ex obiecto, & fine ſunt diſparatæ, & nihilominus vnum vel aliud principium vnius probatur à priori per aliquod alterius; quo pacto medicina ſubalternatur geometriæ : medicus enim probat circulare vulnus reliquis omnibus eſſe difficilius ad curandum, quia eſt geometricum principium, partes circuli maximè inter ſe diſtare, quo ſit vt ſi vulnus eius ſit figuræ illius partes hoc ipſo tardius coeant, & cicatricem obducant. Secunda ſubalternatio impropra eſt, quando obiectum vnius ſcientiæ collocatur eſſentialiter ſub obiecto alterius, illudque non per accidens contrahit : quo modo Metaphyſicæ, quæ de ente ſubſtantia, & accidenti diſſertit, reliquæ ſcientiæ ſubalternantur. Tertia ſubalternatio aliena eſt, cum principia vnius facultatis probantur per ea, quæ ſunt alterius, non oſtenſiue, ſed per deductionem ad impoſſibile : vt cum geometer probat, diametrum quadri non eſſe commenturabilem eius lateri, ſiue non habere cum eo menſuram communem, quia aliàs eam haberet vnitas cum numero, cuius tamen repugnantia, & impoſſibilitas eſt arithmeticum axioma. Eodem ritu ſubalternantur ceteræ facultates Metaphyſicæ : omnes enim ex negatione eius quod intendunt, id aliquando inferunt, fore vt idem habeat eſſe, & non eſſe, ſiue vt aliqua terminorum contradictio ſequatur : at impoſſibilitas contradictionis, cuiusve quod eſt quidpiam ſimul eſſe, & non eſſe, à Metaphyſica demonstratur. Quarta ſubalternatio impropra, ac metaphyſica eſt, quando quouis alio modo præter eum, quem inter explicandam veram ſubalternationem propoſuiſimus, vna facultas aliam inuocat, nimirum aut ſuggerendo ei exemplum, quo ſe explicet, aut remouendo errorem, cuius ſpecie poſſet impropra materia deludi, aut probando aliquod eius principium, vel à minori ad maius, vel à maiori ad minus, vel à pari, vel à contrario, vel alio quolibet pacto : multifariam enim contingit, vt ſicut omnes virtutes mutuo ſe inuant, ita etiam, mutuam ſibi operam præſtent omnes ſcientiæ : ad quarum impropiam hanc, & ſuſam ſubalternationem reſpexit Tertullianus lib. de idololatria, vbi dixit, *nulla ars non alterius, aut mater, aut propinqua eſt.*



TRACTATVS V.

*Quo pacto attribuantur inuicem obiecta
habituum intellectuum, ſiue ſcientiarum habitualium.*

CAPVT I.

*Quodnam ſit obiectum attributionis, quodnam
attributum ſcientiæ totalis.*

IN VRE meritò quæſtionem inſtituimus de obiecto attributo, & attributionis ſcientiæ totalis : nam ſi ſermo de ſcientia partiali id eſt conſuſione demonſtratiua, nulla erit in vtrouque ei aſſignando difficultas : ſiquidem ſubiectum ſcientiæ partialis, ſiue vnius cuiuſdam conſuſionis demonſtratiuæ, eſt omni proculdubio eius obiectum attributionis, prædicatum verò eius attributum, præmiſſæ autem obiectiuæ illius obiectum formale. Porro hæc tria genera obiectorum luculenter diſtinxit Ariſtoteles libro 1. poſteriorum analiticorum lect. 15.

translationis Argitapolitanae parumper ab initio his verbis: *Tria namque sunt, quae in demonstrationibus insunt; primum id quod demonstratur inesse; hoc autem est quod alicui per se generi competit; aliud dignitates; dignitates autem ea sunt, ex quibus fit demonstratio; tertium est genus ipsum subiectum, cuius affectus accidentiaque per se demonstratio patet.* Vbi nomine dignitatum siue principiorum complectitur obiectum formale, nomine eius quod demonstratur inesse, & quod alicui per se generi competit, obiectum attributum, ac demum nomine eius, de quo aliquid per conclusionem demonstratiuum patet, cuius aliquid in ea attribuitur, obiectum attributionis. Hoc autem pacto Aristotelem explicant, ac de obiecto attributo, & attributionis scientiae partialis sentiunt omnes eius interpretes in praedicta verba. Item omnes Thomistae cum B. Thoma quaest. 1. prologi artic. 4. Nominales cum Ochamo q. 4. & Gabriele q. 8. Scotistae etiam ferme omnes cum Scoto quaest. 3. Rursus Aureolus, Bonaventura, Richardus, Durandus, & reliqui antiqui in prologum sententiarum, quibus nostri communiter accedunt. Ratio autem huius dogmatis est manifesta: namque obiectum scientiae partialis, siue alicuius conclusionis demonstratiuae est illud, cui aliquid in eiusmodi scientia attribuitur, attributum vero est ipsum quod attribuitur, atqui subiectum scientiae partialis est id cui attribuitur praedicatum, & hoc id quod attribuitur.

2 Maior est difficultas in obiecto attributo, & attributionis scientiae totalis. Ut autem a facilioribus, & magis certis incipiam, obiectum attributionis adequatum tribus conditionibus explicari consuevit, & ab attributo distingui. Prima conditio est, ut eiusmodi obiectum sit vnum, hoc est vnica definitione definibile. Altera est, ut ad illud cetera scientiae totalis obiecta referantur. Tertia conditio est, ut per tale obiectum scientia a quavis alia distinguatur. Haec autem conditiones collectae sunt ex Aristotele 4. metaph. cap. 1. & 1. posterior. cap. 23. & B. Thoma in prolog. sentent. quaest. 4. Durando quaest. 5. & Capreolo quaest. 4. artic. 1. eas autem amplectuntur plerique recentiores, praesertim P. Vasquez tom. 1. in 1. part. quaest. 1. art. 7. dist. 10. cap. 1. etiam in tertia conditione nonnihil discrepet, eam, quae a nobis assignata est non tam negans, quam aliam assignans, item PP. Conimbr. tom. 1. Logicae quaestione 5. prooemiali art. 1. ubi aiunt, eiusmodi conditiones diuturno philosophorum usu comprobatae communique consensu receptas esse, & P. Fonseca libro 2. metaph. c. 3. quaest. 1. n. 2. & 3. ubi eas ait esse Arist. & ceterorum philosophorum.

3 Porro autem prima conditio suadetur: quoniam, ut animaduertit praeter alios Cardin. Tolet. quaest. 5. prooem. necnon P. Roderic. d. 2. Logicae sectione 5. subsect. 1. num. 49. scientia dicitur vna per ordinem ad obiectum attributionis: hoc igitur vnum esse debet. Consequentia probatur a simili: quoniam hoc ipso quod imperium aliquod dicatur perfecte vnum, & monarchicum, respectu vnius principis, quo continetur, hunc utique vnum, & non plures esse oportet: ergo in praesentiarum, &c. Item a contratio, eo ipso quod scientiae distinctae sint per ordinem ad obiecta, haec distincta non esse non possunt: quando igitur scientia est vna per ordinem ad obiectum attributionis, hoc vnum esse opus est. Non diffiteor, scientiam fore quodammodo vnā per obiectum attributionis non vnum, sed multiplex, quemadmodum imperium Romanum, verbi gratia, vnum fuit sub Diocetiano, & Maximiano; Balbino & Pupieno; Valentiniano, & Valente, aliisque multis, quos histo-

riae referunt. Ceterum sicut nullum imperium potest esse perfecte vnum, & monarchicum, nisi vnus Princeps eius habenas moderetur, ita etiam scientia perfecte vna, & veluti monarchica nequit esse, nisi ad vnum attributionis obiectum tota referatur.

4 Secunda conditio suadetur ipso nominis etymo: propter id enim obiectum attributionis vocatur tale, quoniam ei cetera scientiae obiecta attribuuntur; ei autem attribui, & in illud referri reliqua obiecta perinde est. Tertia conditio suadetur: quo namque aliquid est vnum, & indiuisum in se, eodem reapse est diuisum, ac distinctum a quolibet alio, quidquid sit, an ratione nostra diuisio rei a non ipsa ab eius vnitatem, & indiuisione distinguatur: scientia autem est vna seu indiuisa in se per obiectum attributionis: igitur per illud est diuisa, seu distincta a quolibet alia: quocirca tertia haec conditio a prima parum abest.

5 Enimvero, quod haec conditiones magis clareant, obiciat aduersus primam. Ens est obiectum attributionis metaphysicae: at vnica definitione definibile non est: frustra ergo requiritur haec conditio. Nec responderi potest negata maiori: tum quia aliqua scientia institui posset pro philosophorum arbitrio, quae ens velut obiectum attributionis respiceret, in qua quidem argumentum factum vi sua non careret: tum etiam quia certum est, obiectum attributionis esse vnum, quam ens non esse obiectum attributionis metaphysicae; quod autem magis certum est a minus certo dependere non debet. Neque etiam negari potest argumenti minor: quoniam definitio illa entis more ceterarum complecteretur genus, & & differentiam: sed entis ut sic nullum est genus; tum quia nulla eius ratio superior; tum etiam quia ipsum ens merito summae suae abstractionis communiter negatur esse genus: igitur a fortiori genus se superius, & abstractius non praesupponit.

Respondeo, bifariam aliquid esse vnica definitione definibile: positivè scilicet, quo pacto homo per animal rationale definitur: aut negativè, si nimirum quidpiam pluribus definitionibus definiri nequeat: obiectum attributionis positivè quidem vnica definitione definibile esse non debet: at saltem negativè ita definibile esse debet: ens autem ut sic negativè vnica definitione id est non pluribus definiri potest; namque quando vsque adeo abstrahitur, ut nulla possit definitione definiri propter rationem adductam, a fortiori quidem erit plurium incapax. Respondeo secundo definitionem late sumi posse pro conceptu quem de re aliqua formamus: quemadmodum enim quod manu concipimus, & comprehendimus, id etiam definimus, & claudimus, sic quod intellectu concipitur, id ab intellectu definiri censetur: proinde, cum vnus sit conceptus entis, vna quidem eius definitio negari non debet, propterea ad obiectum attributionis oportet.

6 Oppones secundo aduersus eandem conditionem, actum intellectus formaliter verum esse ratione obiecti sui, iuxta illud Aristotelis; ab eo, quod res est, vel non est propositio dicitur vera vel falsa: sed obiectum non habet veritatem formalem sibi intrinsicam, quam in actum refundat, sed radicalem, ac transcendentelem, quae quidem est diuersi generis: scientia igitur formaliter vna esse potest munere subiecti, siue obiecti attributionis, quod tamen non vnitatem formalem, sed potius multipliciter gaudeat. Simile argumentum confici potest in actu voluntatis formaliter bono, propter obiectum formale in quod tendit, quin tamen eiusmodi obiectum bonitatem formalem

formalem intrinsecam, aut dignitatem laudis habeat, sed potius ab actu, cuius est effectus eam mutetur.

7 Respondeo, ad veritatem, & bonitatem formalem actuum intellectus, & voluntatis, ab eorum obiectis haustas, non requiri in his veritatem, & bonitatem formalem: nimirum, quia ut plurimum obiecta sunt incapacia veritatis, & bonitatis formalis intrinsecæ: veritas enim formalis cum vitalitate in actu secundo & representatione, & bonitas illa formalis cum libertate, & vitalitate coniunctæ sunt: huiusmodi autem prædicata non conveniunt plerumque in obiecta: si quando vero in ea cadunt id est omnino per accidens, ut aiunt. At obiectum attributionis penes quod scientia est una, unitatis formalis est capax, ut visitur in subiecto Theologiæ, Deo nimirum, qui summè vnus: necnon etiam in quouis alio subiecto aliquatenus vno, rectè igitur diximus illud vnum esse formaliter, eo ipso quod unitatem formalem scientiæ conferat. Deinceps secundo respondeo, si res paulò attentius, & pensularius spectetur parem pene esse unitatis, quæ de loquimur, & bonitatis, veritatisque rationem, & obiecto argumento nostram sententiam potius confirmari, quam infirmari: sicut enim actus voluntatis tendens in solam bonitatem radicalem actionis exterioris, & obiecti, quam postea in illam refundit, eam bonam, ac meritoriam, extrinsecè quidem, sed tamen formaliter denominans, cui simile quiddam in cognitione vera, & eius obiecto cernitur; ita similiter scientia totalis in obiecto attributionis solam unitatem radicalem supponit, ab eaque unitatem formalem sumit, illamque postea obiecto acceptam refert, idque aliquibus actibus suis vnum formaliter denominat. Quod videre est in ente, v. g. antequam enim Metaphysica illud intueretur, multiplex est, & numerosum, ac nonnisi radicaliter vnum, ab hac autem radicali unitate formalem mutuatur, eam postea redditura.

8 Aduersus secundam conditionem, & ordinem attributorum ad obiectum attributionis multa solent argumenta confici: nullus enim interea excogitatus est ordo, qui ab aliquibus non impugnetur. Ceterum ea argumenta, totamque secundam conditionem tanquam magis operosam in sequentia capita differo, ac tertiam conditionem aggredior, & quandam, aduersus eam, objectionem diluo, quæ sic se habet: Vnitas in diuisione rei in se, & eius diuisione à qualibet alia consistit: sed scientia ratione primæ conditionis habet ab obiecto attributionis, quod vna sit, adeoque in se indiuisa, & à quavis alia diuisa, seu distincta: igitur tertia conditio hanc distinctionem exprimens inutilis est, ac superuacanea. Respondeo primò negata maiori, multis enim partibus verius est, unitatem in sola indiuisione sitam esse. Quamquam autem diuisio à quacumque alia re sit realiter talis indiuisio, satis tamen superque est, ut ab eâ sit ratione nostra distincta, ne conditio eam addens, & per eam obiectum attributionis explicans sit superflua, aliàs supposito genere differentia ei superaddita, & definitionem complens omnino superflueret. Respondeo secundo tertiam illam conditionem non ita intelligendam necessario esse, ut obiectum attributionis sit causa distinguendi vnā scientiam ab alia: ita enim fortassis non differret à prima, si nimirum vnitas tam in diuisionem rei in se, quam diuisionem ab alia complectatur. Sensus ergo illius tertiæ conditionis est, obiectum attributionis vnum, idemque non posse esse commune diuersis scientiis, nisi valde incongruè, ut præter alios scitè docuit Caietanus 1. part. quæst. 1. articulo 1. sine

Quamuis autem hinc colligatur distinctio vnus scientiæ ab alia, non tamen est ipsa distinctio, siue causa formalis distinguens, sicut etiam ex unitate, siue in diuisione rei in se colligitur eius diuisio à quavis alia, & tamen iuxta magis probabilem sententiam vtrique inuicem distinguitur, & per aliud res est in se indiuisa, & per aliud diuisa à quavis alia.

9 Tribus prædictis conditionibus addi solet quarta, nimirum ut obiectum attributionis, habeat passiones, siue proprietates, quas scientia totalis de illo demonstret, & quod consequens est, ut habeat principia, & causas, quibus ea demonstret. Ita innumeris scholastici, præsertim vero Durandus quæst. illa 5. prologi P. Vázquez disp. 10. citata cap. 1. num. 2. sine P. Suarez disp. 1. metaph. sect. 1. num. 25. Apollinaris 1. poster. quæst. 42. Collegium Conimbr. prædicta quæst. 5. art. 1. paulò ante medium. Et quidem obiectum attributionis Metaphysicæ, de quo maxime dubitari posset, suas habet passiones, ac proprietates, si non realiter, at ratione nostra à se distinctas, quæ possint de eo demonstrari, nempe vnum, verum, bonum: habet itidem principia, per quæ ea demonstrari queant, non extrinsecæ, & realiter distincta, sed tamen intrinsecæ, & realiter indistincta, ac solum ratione distincta, quæ quidem, aut sunt complexa, ut quodlibet est, vel non est, impossibile est idem simul esse, & non esse, aut incomplexa, cuiusmodi est ipsum ens respectu talium proprietatum, vel earum & aliqur respectu aliarum, quæ ratione ex unitate veritas, & ex veritate, siue cognoscibilitate, bonitas, ac amabilitas demonstrantur. Porro hæc quarta conditio mihi probatur, si sermo sit de obiecto attributionis cuiusvis scientiæ speculatiuæ. Sin autem loquamur de obiecto attributionis scientiæ practicæ, quæ magis ad executionem sui obiecti principalis, quam ad eius cognitionem perfectam refertur, fortassis in ea prædicta conditio locum non habet, quamuis magis sit, ut in illa etiam admitti debeat: vtrumque autem horum in Dialectica libro secundo tractatu 2. perstrinximus.

10 Ad extrinsecum animaduerte, quod à nobis, & à plerisque vocatur obiectum attributionis, id ab aliis multis appellari subiectum, quo pacto inter alios loquitur B. Thomas 1. part. quæst. 1. art. 7. & noster Rubius quæst. 6. proemiali: ab aliis vero subiectum formale; quo modo loquitur Caietan. in B. Thom. loco citato: à non paucis subiectum attributionis; quo loquendi modo vtuntur P. Suarez d. 2. de fide sect. 1. num. 2. & P. Egid. d. 9. de fide dub. 1. à multis etiam obiectum adequatum, ut videre est apud P. Suarez 1. metaph. disp. 1. sect. 1. num. 7. 8. 16. & 24. à quibusdam etiam absolute obiectum; ut præter alios loquitur noster Rainaudus in prologo disciplinæ moralis §. 2. num. 10. ab aliis denique obiectum principale. Sed hæc voces eodem recidunt, & ne confundant, aut in æquiuocationem sensum inducant, animaduerti debuerunt.

C A P V T II.

Quatenus attributa ad obiectum attributionis referantur.

11 Quamquam multi communiter de hac relatione attributorum ad obiectum attributionis in omnibus scientiis eodem philosophentur modo, ipse tamen in scientiis speculatiuis, & practicis diuersam esse, & in his intrinsecam, & naturalem, in illis verò extrinsecam,

extrinsecam, & arbitrariam arbitror. Quamobrem dico primò: in omni scientia speculatiua ordo attributorum ad subiectum, cui attribuuntur est extrinsecus, & arbitrarius, pro solo libito, seu placito inuentorum, fundamentum habente in rebus ipsis, & cognitionibus, quibus attinguntur. Porro ordinem hunc habere fundamentum in rebus, & earum notitiis est res scientiæ subiectas ordine physico, & reali partis subiectiue, essentialis, aut integrantis, causæ, effectus, aut proprietatis, aliove simili modo inuicem referri, aut ordinari, & notitias rerum scibilium ordinem medij, & finis, quo altera ad alteram comparandam iuuat, aliumve similem adipisci. Quapropter ordo hic obiecti attributionis est formaliter extrinsecus, & fundamentaliter intrinsecus.

12 Pro quorum lucè, & argumentorum, quæ in contrarium mox subiiciemus, enodatione, animaduertendum, aliud esse fundamentum reperiri in rebus, & earum notitiis, vt vnum obiectum potius, quam aliud sit obiectum attributionis totius scientiæ, aliud verò in illis fundamentum esse, vt ex æquo vtrumlibet sit obiectum attributionis prout auctoribus placuerit. Illud prius, nec nostræ sententiæ, nec veritati consonat: hoc posterius, & ad nostram sententiam, & ad veritatem accedit. Siquidem ordo physicus, & naturalis rerum scibilium, & ordo intentionalis cognitionum, quibus sciuntur æquè competit cuiuslibet fermè obiecto, præsertim principali, respectu cuiuslibet eiusdem scientiæ, & similiter cuius cognitioni comparatione cuiusque alterius ad scientiam spectantis eandem, vt decursu huius tractatus clarebit. Proinde nullum fundamentum est, vt hoc potius, quam illud obiectum, terminet habitudinem reliquorum, quæ illi attribuuntur, est vero, & maximum, vt ex pluribus obiectis quodlibet sit obiectum attributionis reliquorum: prout scientiæ institutores maluerint.

13 Animaduertendum rursus, duo esse attributorum genera, alia quæ identificantur cum subiecto, eiusque sunt partes subiectiue, siue inferiores, alia, quæ à subiecto realiter distinguuntur. Attributa prioris generis habent ordinem, ac relationem ad obiectum attributionis, qualem habet obiectum materiale ad formale à se indistinctum, ac logicè superius: sicut enim voluntas odio habet intemperantiam, quia est peccatum, & amat temperantiam, quoniam est virtus, quibus in obiectis ratio formaliter amata, aut odio habita est indistincta à ratione materialiter amata, odiove habita, ita Physica, v. g. agit de cælo, quia est ens naturale, de homine, quia etiam est ens naturale, & sic de reliquis obiectis, quæ sunt entia naturalia, vel mobilia. Attributa verò posterioris generis, cum subiecto velut, media cum fine, comparantur: quo pacto in Theologia cognitio rerum à Deo creatarum, virtutum, & vitiorum, necnon reliquorum, quæ sunt à Deo distincta, ea, inquam, cognitio est medium, quod ordinatur tanquam ad finem suum ad perfectam notitiam Dei, qui Theologiæ subiectum censetur. Cæterum nec ordo finis, & mediorum in attributa prioris generis, nec ordo obiecti materialis, & formalis in posterioris generis attributa quadrat. Primum planè constat: quoniam qui perfectam habet notitiam rationis inferioris, eo ipso rationem superiorem in ea intimè contentam perfectè dignoscit. Contra verò, qui rationis superioris perfectam habet notitiam, non hoc ipso rationem inferiorem sub ea contentam perfectè cognoscit, vt perspicuè cernitur in homine, & animali: fieri enim nequit, vt hominis natura ex amussim innotescat incognito animali, propter id quod homo est essentialiter ani-

mal rationale: esse autem potest, vt animal exactè cognoscatur latente homine, à quo nimirum, & reliquis inferioribus essentialiter abstrahit: cognitio igitur rationis inferioris includit cognitionem rationis superioris, sicut vna ratio cognita aliam: igitur prior cognitio nequit esse medium ad posteriorem cognitionem in se inclusam, neque hæc finis contemplatione illius, aliàs aliquid foret medium respectu sui ipsius, & quod consequens est, ad rem iam obtentam obtinendam tamen, irritis quidem votis, cassisque conatibus inhiaremus. Secundum eorum, quæ statuimus, non minus constat: siquidem attributa posteriora à subiecto distinguuntur: nequeunt igitur cum illo velut obiecta materialia cum formali indistincto comparari.

14 Quibus prælucentibus, assertio probatur: quoniam ordo attributorum ad subiecta, quibus attribuuntur in scientiis speculatiuis non est duntaxat intrinsecus, & naturalis, siue inesse rei, vt aiunt, siue in esse cogniti vt capitibus sequent. constabit: igitur est extrinsecus, & is, qui à libito, & arbitrio philosophorum proficiscitur. Deinceps à simili declaratur: subiectum scientiæ speculatiue, cui reliqua eius attribuuntur obiecta, ita se habet, sicut in rebus artificialibus fundamentum domus, quod reliquæ molis sustentitur: quamobrem, sicut à fundamento omnis ædificij constructio incipit, ita nisi doctrinæ difficultas aliud postulet, à subiecto omnis doctrina rectè ordinata inchoat, vt communiter auctores docent. At quod fundamentum ædium his, vel illis ponatur lapidibus, iis accidentale, & arbitrarium est, & supposita aliqua in ipsis aptitudine, à solo architectorum libito proficiscitur: quod igitur hoc obiectum potius, quam illud sit subiectum, & quasi fundamentum scientiæ, cui tota illa superimposita sit, ipsis obiectis, & earum notitiis accidentale, & extrinsecum est, & supposita aliqua in eis aptitudine à solo philosophorum nascitur arbitrio. Quod autem ordo hic extrinsecus, & arbitrarius, non sine fundamento sit, in rebus ipsis, & earum notitiis, constat tum ex Aristot. 1. poster. & B. Thoma 1. part. quæst. 1. artic. 7. & 1. 2. quæst. 54. art. 4. ad 3. tum etiam quia aliàs omnes scientiæ, in quoddam inscitia, & ignorantia chaos abirent.

15 Dico secundò: in scientia practica, qualis est Dialectica, & philosophia moralis, ac medicina, aut, si qua alia, ordo attributorum ad obiectum attributionis est intrinsecus, siue essentialis, & non extrinsecus, aut ab arbitrio philosophorum pendulus. Porro ordo intrinsecus, & naturalis, alius est realis, siue in esse rei, merito cuius attributa realiter sumpta ad obiectum attributionis itidem realiter sumptum referuntur, hoc est veluti eius effectus causæ, &c. alius intentionalis, siue in esse cogniti, munere cuius cognitio attributorum ad cognitionem obiecti attributionis refertur, vnaque propter aliam intenditur: alius demum mixtus & partim realis, partim intentionalis, intentionalis quoad fundamentum, & realis quoad terminum, atque vt paucis expediam, talis quo cognitio attributorum, non tam ad perfectam cognitionem, quam ad perfectam executionem obiecti attributionis refertur, quanquam hanc ita curet, vt illam penitus non omitat, vt ostensum est in Dialect. lib. 2. tractatu 2. Hic autem tertius ordo intrinsecus est, quo in scientia practica attributa ad obiectum attributionis per se referuntur, cum duo priores ad illud quodammodo per accidens, & impertinenter sese gerant.

16 Probatur autem hæc assertio secunda à priori. Obiectum attributionis scientiæ practicæ est finis immediatus,

immediatus, & intrinsecus, ad cuius executionem regulas præscribit: atqui ad eum finem nequit non ex natura sua, & intrinsecè referri: ordo igitur, quo scientia practica attributa sua vni alicui subiecto attribuit, intrinsecus est, ac naturalis. Maior perspicua: nam obiectum attributionis scientiæ speculatiuæ est finis intrinsecus, ad cuius perfectam notitiam, & contemplationem actus suos dirigit, contra ergo obiectum attributionis scientiæ practici erit finis intrinsecus, ad cuius praxim, & executionem actus suos destinauit. Minor probatur: regulæ scientificæ, quæ ad alicuius finis executionem dirigit, ad alterius executionem dirigere nequeunt, quando directio eis quidem essentialis est, & indistincta ab earum representatione, quam nequeunt mutare: cum igitur ordo scientiæ practici ad obiectum attributionis sit, regulæ ad opus regulatum, siue finem vi regulæ ad exequendum, nequit scientia practica essentialiter, & intrinsecè non referri ad eum finem, quem semel sibi præstituit.

17 Item secundò probatur eadem assertio, à posteriori. Quoniam scientia moralis ita ad bonitatem moralem actuum voluntatis velut obiectum attributionis, & finem intrinsecum reliqua sua obiecta ordinat, vt ea in aliud natura sua referre nequeat: scientia etiam rationalis cuiusmodi est Dialectica, ita ad veritatem reliqua obiecta sua instituit, vt in alium finem intrinsecum ea referre non possit: medicina quoque, si inter scientias numeranda, non in aliud, quam in sanitatem velut obiectum attributionis suapte natura referibilis est: & par est ratio cuiusvis alterius scientiæ practici, si qua reperitur alia: omnis ergo scientia practica se, & attributa sua ad finem, & obiectum attributionis naturaliter, & intrinsecè coordinat.

18 Tertiò probatur eadem assertio à simili: ordo quo ars practica in finem suum reliqua obiecta ordinat, est intrinsecus, & essentialis: idem ergo de scientia practica dicendum. Antecedens suadetur: quoniam ars pingendi, v.g. picturam velut finem sibi, suisque obiectis sponte sua præstituit, ita vt in alium finem sit irreferibilis: domifactoria architecturam, musica numerum sonorum, siue oblectationem auditus sibi naturaliter, ac necessaria ratione proponunt: atque idem cernere est in aliis artibus.

C A P V T I I I.

Obiectiones aduersus doctrinam superioris capitis repelluntur.

19 **A**duersus priorem assertionem capitis præcedentis, obieciens ex P. Roderico: si ordo attributorum, ad subiectum esset extrinsecus, & arbitrarius, posset institutor scientiæ de Angelo, verbi gratia, & scientiæ de lapide, huius cognitionem in illius notitiam referre: & lapidem Angelo velut subiecto attribuere, in scientia, quæ de utroque disserat: atqui Angelus nequit esse obiectum attributionis, in quod lapis referatur, cum cognitio lapidis ad exactam notitiam Angeli impertinens sit, & lapis, ac Angelus, quod aiunt in esse rei minimè referantur: ordo igitur attributorum ad subiectum non extrinsecus, sed intrinsecus est, & essentialis. Respondeo, ordinem illum, non esse ita extrinsecum, & arbitrarium, quin fundamento alicui, quod præbeant res ipsæ, & cognitiones earum inniti debeat, cuius quidem defectu lapis Angelo attribui nequit in eademmet scientia, nisi inceptè, & abs re.

20 Obieciens secundò: Ordo causæ efficientis ad suum effectum est essentialis, & transcendentalis: ordo igitur cognitionis attributorum ad cognitionem subiecti est essentialis, ac transcendentalis, ac proinde non arbitrarius, & accidentalis. Antecedens supponitur ex physica, ac sponte sua satis patet: quid enim igni, verbi gratia, essentialius, quam esse calefactiuum, siue ad calorem instar causæ efficientis referri. Consequentia etiam videtur perspicua: cur enim ordo causæ efficientis magis, quam ordo causæ directiue essentialis fiet? Respondeo: duplex est habitudo causæ efficientis ad effectum: alia qua cum actu efficit; & hæc ei nequaquam est essentialis: alia qua cum efficere potest; & hæc ei essentialis esto, quamuis oppositum forsitan sit verius. Quocirca, tametsi causæ creatæ liberæ essentialis sit, quod in alterutram contradictionis partem flectere se possit, secus tamen, quod in eam actu se flectat potius, quam ad aliam: & licet causæ creatæ necessaria sit essentialis, quod virtutem, & energiam suam possit exercere, non tamen quod actu eam exerat, quandoquidem potest à causa prima cohiberi ne operetur: ac tandem esto (quod falsum est) Deus ordinem transcendentalem ad creaturas habeat, is tamen ordo non est creatoris, quo eas producat, sed omnipotentis, quo possit eas producere, si libuerit. Pari ergo iure distinguenda est duplex habitudo attributi ad subiectum: alia merito cuius ei attribui potest, & hæc ei est fortasse essentialis, quod solum obiectio conuincit, & nobis non aduersatur: alia, munere cuius ei actui attribuitur, & hæc esse ei essentialis haud est, sed arbitraria, & quæ à libito Doctorum oritur. Neque vero efficientium causarum ordo doctrinam hanc impugnat, sed potius optima paritate propugnat.

21 Oppones tertiò: ordo attributorum ad subiectum sicuti esset extrinsecus, & in solo philosophorum libito situs, voluntas illa philosophorum scientiam in ratione vnius scientiæ constitueret: consequens est falsum: ergo & illud inde sequitur. Sequela probatur: siquidem ordo attributorum ad vnum subiectum scientiam quoad rationem vnius scientiæ constituit, vti certo certius: ergo & voluntas primorum philosophorum eam constituet, vbi semel in huiusmodi voluntate ordo ille consistat. Quod autem consequens sit absurdum, suadetur. Primò, quia syllogismus voluntate syllogizantis intrinsecè non constituitur, solumque ab ea veluti à causa efficienti, aut obiectiua extrinsecè dependet. Deinde quoniam scientia est virtus intellectualis, vt traditur ab Aristotele 6. ethicorum: igitur ab actu voluntatis intrinsecè non constituitur, solumque ab eo pender extrinsecè, & quod aiunt præsuppositiue, non aliter, atque è conuerso virtutes voluntatis nullo constituuntur intellectus actu, tantumque ab intellectu veluti causa extrinseca, & directiua oriuntur.

22 Huic argumento vt occurrat, prius noto, scientiam trifariam accipi posse, & solere. Primò strictissime pro actu, aut habitu conclusionum, vt aduertit præter alios Cateranus 1. part. quæst. 1. artic. 2. quo sensu, nec discursus proit principia completitur, nec etiam collectio plurium discursuum scientiæ appellationem subeunt. Secundò, minus strictè pro discursu, quatenus præmissas, & conclusionem comprehendit, quo pacto B. Thom. 1. part. quæst. 1. artic. 8. scientiam usurpauit, vbi scientias naturales esse argumentatiuas, & de suis principiis plurium veritatum illatiuas edocuit. Tertiò, adhuc minus strictè ac iuxta aliquos omnino improprie, & alienè pro cumulo, & collectione plurium discursuum, quæ ratione

ratione Dialectica, v. c. quatenus de omnibus suis obiectis differit, scientia appellatur: quantum autem hæc acceptio à duobus prioribus distinet, & quantum etiam illæ inter se inuicem; cuius est, nisi fallor, exploratum. Hinc ad argumentum respondeo, vnamque scientiam speculatiuam tertio modo sumptam, actu voluntatis partialiter, ac minus principaliter constitui, nobis autem sermonem esse de scientia hoc modo, & non alio sumpta. Ad primam probationem contrariam dicendum est, syllogismum non esse scientiam tertio modo, quo de loquimur, sed secundo modo, quare mirum non esse, quod nullo voluntatis constituatur actu, solumque præmissas, & conclusionem, huiusque ab illis originem, illarumve in hanc influxum quendam directum inuoluat, hæc autem omnia ad intellectum, & nihil ad voluntatem proximè, & immediatè attinet. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, solam scientiam primo modo usurpatam intellectualem esse, viri utem, vt Caietanus supra laudatus animaduertit, hanc autem voluntatis actu minimè constitui. Cæterum scientiam tertio modo sumptam, circa quam præsens est controuersia, virtutem intellectualem ab Aristot. nusquam, & nunquam appellatam, ac proinde voluntatis actu posse constitui. Rursus scientia postremo modo sumpta adhuc dupliciter subsumi solet, aut quatenus intellectum perficit, & sic voluntatis actu non constituitur, aut quatenus à voluntate perficitur, & in vnum finem ordinatur, ordo enim ad cuiusque rei perfectionem attinet: scientia priori modo accepta virtus intellectualis est, atque, vt dixi, voluntatis actu non constituitur, posteriori vero modo virtus partim intellectualis, partim voluntaria est, & ideoque voluntatis actu potest non incongruè compleri, quin habitus voluntatis, actu intellectus minimè constituti contrarium suadeant, eo nimirum quod tales habitus sint virtutes mere voluntariæ, ac neutræque intellectuales.

23 Argues quartò: ex nostra sententia sequi, eiusdem scientiæ fore diuersa obiecta attributionis apud diuersas gentes, cum fieri possit, vt eas inter diuersi sint inuectores, & alij aliud obiectum attributionis eidem scientiæ assignent. Respondeo concessa sequela, & negata consequentis absurditate. Namque cur incongruum magis sit, & absolum, de iisdem obiectis scibilibus alias, aliasque scientias institui, & modo eas hac ratione, modo longè diuersa disponi, quam eidem scientiæ speculatiuæ aliud, aliudque subiectum, finemve præstitui? Atqui cum obiecta scibilia eadem semper sint omninoque inuariata, nihilominus circa illa diuersæ scientiæ instituta sunt, & nunc hoc pacto, nunc alio à diuersis Philosophis dispositæ: nam vt in prælogio totius Philosophiæ vidimus, scientiæ de rebus omnibus nostræ speculationi subiectis, aliæ assignatæ sunt à Platonis, à Peripateticis aliæ, aliæ ab Epicureis, aliæ vero à multis Stoicis, vt recentiores missos faciam. Atque, vt exemplo res eluceat, quid prohibet non vnam Metaphysicam institui de omnibus à materia, siue realiter, siue ratione nostra abstractis, nec vnam Physicam de omni corpore naturali, siue substantia corporea, vt hæcenus est receptum, sed vnam scientiam statui de substantiis purè spiritualibus, & à materia, ac materiali vnione reapse abstractis, Deo scilicet, & Angelis: aliam vero de ente vt sic & gradibus communissimis solius beneficio intellectus à materia defacatis. Item vnam scientiam de homine, & aliam de cæteris entibus corporeis: neque non etiam Mathematicam aliter quam modo institui, ac disponi.

Quemadmodum ergo de iisdem obiectis diuersæ tamen sunt scientiæ pro arbitrio Philosophorum, quid est, quamobrem vniuersæ, eiusdemque scientiæ diuersæ nequeant esse obiecta attributionis, diuersas inter gentes, si eorum philosophis id libuerit.

24 Quinetiam adiicio, eodem loci, & gentis, vnam scientiam aliud, aliudque obiectum attributionis adipisci posse, si plurium grauium philosophorum consensus accedat. Sicut enim voces significationem suam arbitramur, non solum mutuamur ab idiomaticis inuettore, sed nonnunquam etiam longo vsu, & inolita consuetudine posterorum, eam denuò sibi præscribunt: & sicut legem non tantum principis voluntas, sed etiam consuetudo recepta facit, atque inuehit: ita etiam scientiæ speculatiuæ varia sortiuntur obiecta attributionis, tum si sint plures earum inuectores in diuersis terrarum oris, ac partibus, tum etiam si eodem tracta scientiam ab vno inuettore transmissam multi postea diuiso consensu, ac veluti partitis suffragiis in diuersos fines destinent. Hinc conciliari possunt, atque in concordiam reuocari, innumeris scholastici, quorum alij ens mobile, alij non hoc, sed corpus de prædicamento substantiæ, alij vero cum Ochamo mundum hunc sensibilem philosophiæ subiectum opinantur; quorum itidem alij metaphysicæ subiectum ens in commune, alij substantiam, alij Deum, alij alia assignant; quorum denique alij Theologiæ subiectum existimant, cum Durando actum meritorium, cum Ochamo signa, & res, cum Alberto Christum, cum Gregorio Deum propter glorificatorem, cum Thoma Deum propter absolutum Deum. Sed, inquam, horum ferme omnium, & aliorum dissensio, haud agrè potest iuxta dicta componi, si videlicet singulos verum attigisse fateamur, nulloque iure eos impediri potuisse, quominus suum singuli obiectum attributionis, sua & asseclarum auctoritate, & consensu assignauerint, assignandoque effecerint. Quocirca valdè demor aliquos scholasticos, qui vbi in scientiis speculatiuis agitur de obiecto attributionis, quod inter ipsos est receptum, hoc solum probant, & pro eo non aliter, ac pro aris, & focis dimicant; multis tamen partibus satius est deposita contentione, ita suum quosque attributionis obiectum amplecti, vt aliis etiam cuiuslibet liberam optionem relinquant.

25 At repones. Nequit diuersis scientiis commune esse idem attributionis obiectum, quæ est eius tertia conditio, à nobis etiam superius approbata: è contrario ergo nequeunt eiusdem scientiæ esse plura obiecta attributionis: qua enim gratia vnum admitti, & non alterum possit, ac debeat? Sic vti diuersis hominibus eadem nequit anima esse communis, ita nec eidem homini inesse possunt plures animæ, quin vnus horum maior sit, quam alterius repugnantia. Respondeo, quod diximus, eiusdem scientiæ diuersa esse simul obiecta attributionis, id intelligendum esse de scientia eadem materialiter, non verò formaliter: hoc enim ipso quod subiecta scientiarum totalium sint diuersa, ipsæ quoque scientiæ erunt formaliter diuersæ, vt materialiter sint eadem, & eodem prorsus actus & habitus intellectuales includant. Ita quidem hæc propositiones, *homo est animal rationale*, *animal rationale est homo*, sunt formaliter diuersæ, & non identicæ siue synonymæ, quoniam diuerso subiecto constant, tamen cæteræ similes sint, nihilque attingat altera, quod etiam altera non intueatur: pari ergo ratione, quanquam scientia aliqua speculatiua, v. g. Metaphysica, quoad obiecta omnia, eorumque representationem, eadem sit vbius gentium,

gentium, & scholarum, si tamen hic vnum subiectum, & alibi aliud recipiat, id satis erit, vt formaliter multiplex, ac diuersa euadat. Neutiquam ergo sequitur ex nostra doctrina, aut eiusdem scientia diuersa esse subiecta, aut plurium idem, si de identitate, ac diuersitate formali sermo. Quare philosophia, ac theologia Scotistica à Nominali, Nominalis à Thomistica, hæc à nostra, & singula à singulis formaliter dissident, præter propter diuersas opiniones, quas quique sequimur, eorum insuper nomine, quod multoties diuersa subiecta scientiis assignemus.

26 Infurges 5. Christum dominum, Virginem eius matrem, & Adamum omni scientia carituros, si sit vera nostra opinio: consequens est absurdum: ergo, &c. Probat sequela: quoniam scientia in ratione vnius scientia constituitur voluntate inuentoris, qua eius obiecta vni præ cæteris attribuuntur: is igitur duntaxat, qui scientiam ab inuentore mediate, aut immediate discit, & accipit, & non alius scientiam vnam formaliter vnam habebit, cum in hoc solo voluntas inuentoris moraliter perseueret, & contemplatione illius, ad quem ab inuentore scientia transmissa non est, item se habeat eius voluntas, atque si nunquam extitisset. Christus autem Dominus, Virgo deipara, & Adamus, scientias naturales ab Aristotele, alioue homine non didicerunt, soliusque Dei magisterio eas infusas habuere: haud ergo voluntas humani alicuius inuentoris in eis moraliter persistit, ac proinde eis semper defuit, quo vnâ aliquam scientiam quatenus talem, & consequenter scientiam absolute d eam haberent, aut modò etiam habeant. Respondeo, eos habuisse, ac nunc etiam habere, scientias omnes acceptas primo, & secundo modo, eorum quos hoc ipso cap. in responsione ad 3. obiect. explicui. Quod autem scientiam tertio, ac postremo modo acceptam fortassis non habuerint, (quod ad summum probat obiectio, siquid efficit) id absurdum non est imò rationi cõsentaneum, eò quod scientia hoc sensu sumpta imperfectionem cum disciplina coniunctam includere videatur. Ad hæc respondeo 2. Christum dominum, Virginem Deiparam, ac proparentum, scientias etiã tertio modo sumptas, semper forsitan habuisse: quid enim vetat, eos collectionem plurium habituum, & actuum in vnum finem subiectumvè coordinasse in qua coordinatione eiusmodi scientiarum vnitas, ac partim etiam natura consistit: hæc enim coordinatio imperfectionem non claudit. Cæterum quemadmodum isthæc coordinatio fortè diuersa fuit, ab ea qua sunt vsi humanæ philosophiæ principes, ita etiam scientia ipsa tertio modo sumptæ prout eis inextiterunt, diuersa fuit, ab illis quas Aristoteles, & reliqui authores, nobis veluti hæreditario iure reliquerunt. Nostis ergo scientiis, quatenus formaliter nostris, carere; prout enim nostræ imperfectionem includunt; at alias dissimiles de eisdem obiectis, seclusis imperfectionibus nostrarum habuerunt, ac semper etiam sunt habituri.

26 Obiicies 6. Si ordo attributorum ad subiectum extrinsecus, & arbitarius foret, nunquam subiectum scientiæ, quale esset, scientificè probari posset, solaque traditione, & historia constaret, seu potius coniceretur. Consequens est perquam absurdum, cum non sola autoritate, sed etiam scholasticis argumentis, nec tam maiorum monimentis, quam rationum momentis vestigari soleat subiectum cuiusvis scientiæ speculatiuæ. Respondeo, vt obiectum attributionis, non sola autoritate, ac maiorum fide, verum etiam rationibus indageretur,

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

eaque indago in historiæ examen minimè deuolueretur, abundè esse, si ordo obiectum attributionis constituens, etsi extrinsecus & arbitarius, fundamentum tamen aliquod præsupponere debeat: quo de fundamento disputari scholasticè potest, eiusque defectu plura subiecta reici, & eius merito, ac beneficio vnum aliquod cæteris congruentius statui nil prohibet.

27 Obiicies 7. Intellectus respicit velut obiectum specificatum, duntaxat verum, illudque necessario, & non liberè scientiæ igitur, quibus intellectus perficitur, specificantur à suis obiectis, subiectis sue, necessaria, & non libera ratione; ita, vt quemadmodum intellectus aliud obiectum præter verum intueri nequit, scientiæ quoque intellectuales in alia attributionis obiecta nequeant ferri, præter ea, quæ semel intuentur. Par argumentum confici potest, in voluntate, quæ ad bonum à quo specificatur, liberum, aut contingentem ordinem haud quaquam habet, & in sensibus internis, & externis, quibus certa quadam obiecta necessitas, ac natura proposuit: quod enim visus colorem, lucemque solummodò respiciat, & auditus sonitum hauriat, & sensus cõmunis, siuè interior exteriorum omnium formas admittat, id ita necessarium, vt nullius possit arbitrio mutari. Occurrendum tamen huic difficultati, ac dicendum, scientias quibus intellectus perficitur, & ornatur eo sensu quo nostræ sunt disputationi subiectæ, esse entia quadam per accidens, & artificialia, quando consistant, vt supponit quæstio, in collectione, & cumulo plurium habituum in vnum quiddam coordinatorum. Quare sicut in artefactis exterioribus, & corporeis res sponte sua indifferentes sunt, vt hanc, vel illam formam, ac figuram ab artifice accipiant, ita eandem habent indifferentiam scientiæ, vt hoc aut illo modo coordinentur, & huic illiue subiecto attribuantur: nequit autem stare hæc indifferentia earum, quin authorum arbitrio, & voluntate constituantur, atque illius beneficio, alicui certo subiecto, & fini destinentur. Cæterum facultates animæ materiales, & spirituales, haud sunt entia artificialia, & per accidens, sed naturalia, & per se prout ens per se entia per aggregationem opponitur.

28 Argumentaberis 8. cum voluntas ab vno ad aliud progreditur in aliquo fine sistit, ad quem media omnia suapte natura referuntur, & conducunt, & qui executioni mandatus ad alterius executionem est irreferibilis: neque enim potest voluntas progredi in infinitum: similiter ergo scientia, quæ quidam processus rationis est, vt ait B. Thomas 1. posteriorum, ita ab vno ad aliud procedit, vt in aliquo sistat, quod reliquorum relationem terminat, & aliud non refertur, ne in infinitum abeat: illud ergo erit obiectum attributionis independentè à voluntate, & arbitrio institutoris. Vt enim datur in scientia aliqua obiectum vltimum, ad quod cætera referuntur, quin tamen ipsum in aliud vltèrius referatur, quæ necessitas voluntatis vltius, quãdo ad id videtur sufficere ipsa rerum natura, quatenus processum in infinitum refugit, & abhorret. Respondeo, argumento retorto: ordo mediorum ad finem est extrinsecus, & arbitarius, supposito aliquo reapse fundamento, & qui modo finis est forte mediũ esse potuit; si ergo à voluntate ad intellectum arguatur, ordo etiam attributorum ad subiectum extrinsecus, & arbitarius erit. Rursus absolute: scientia quidem per aliquos actus, & habitus in vno obiecto ita sistit, vt per eos ad aliud non progrediatur, idque propter ipsarum rerum naturam, & infinitudinis

5f impos

impossibilitatem: cæterum potest per alios in eodem non sistere, sed ab eo ad aliud obiectum tendere, in quo quiescat: quare non erit cur vnum potius, quam aliud, obiectum attributionis sit, si ordo intrinsecus præcisè spectetur.

29

Tandem obiicies Aristotelem supra lib. I. posteriorum: tria namque sunt, quæ in demonstrationibus insunt: Vnum id, quod demonstratur inesse: hoc autem est, quod alicui per se generi competit, &c. Vbi nomine eius, quod demonstratur inesse, attributa, nomine vero generis obiectum attributionis iuxta omnes intelligit: atque illorum ad hoc relationem dicit esse per se: ergo naturalem, & non arbitriam. Confirmatur: quoniam omnes scholastici graues, & antiqui ita de obiecto attributionis philosophantur. Respondeo, Aristoteles locutum esse de obiecto attributionis scientiæ partialis quod eiusmodi esse per se, & naturaliter haud inficiamur. Rursus transeat, ei sermonem fuisse de subiecto scientiæ totalis: hoc enim permisso dici potest, voculam, *per se*, fortassis indicare ordinem attributorum ad eiusmodi subiectum, esse intrinsecum, & naturalem, non formaliter, sed duntaxat fundamentaliter. Ad confirmationem dico, antiquos scholasticos neutram sententiam exprimere, & nec nobis, nec aduersariis diserte suffragari, solumque P. Rodericum disp. I. log. art. 3. subsect. 6. n. 41. & paucos alios neotericos expresse nobis refragari, & in ea esse sententia, vt relationem attributorum ad subiectum nunquam arbitriam esse existiment.

CAPUT IV.

Ultior argumentorum solutio, & obiecti attributionis cum fine scientiæ comparatio?

30

HActenus repulimus eas obiectiones, quæ aduersus priorem nostræ doctrinæ partem strui poterant: proximum est, vt quæ fieri possunt contra posteriorem assertionem nostrâ, eas etiam amoveamus. Prima sic se habet: ordo attributorum in scientiis speculatiuis non est intrinsecus, seu essentialis, sicut hucusque edocuimus, sed arbitrius, & extrinsecus: idem ergo dicendum erit de scientiis practiciis. Quia enim propter ordo intrinsecus, cognitionis attributorum ad cognitionem subiecti, illud obiectum attributionis non constituat? si ordo attributorum ad executionem subiecti, scientiæ practiciæ subiectum constituit. Respondeo, si spectetur ordo intrinsecus, & naturalis obiectorum facultatis speculatiuæ, siue in esse rei, siue in esse cogniti, multa eorum ita inuicem comparari, vt quoduis ad aliud quodlibet vtroque modo referatur, ac veluti finem intueatur, v.g. in Metaphysica Deus in esse rei est ad Angelum, & hic pariter ad Deum, alter instar causæ, alter instar effectus; item cognitio Dei conducit ad cognitionem Angeli, ad eamque obtinendam est medium aptum, & e conuerso, si cognitiones in contrarij recurrant: haud ergo obiectum attributionis scientiæ speculatiuæ est eius finis intrinsecus, ac naturalis, siue in esse rei, siue in esse cogniti; aliàs plura mutuo essent obiecta attributionis: est igitur finis arbitrius, & quæ auctores relictis vltro aliis leligunt, ac toti scientiæ præstituunt: sic enim omnis subiectorum multiplicitas & confusio toleatur. At ordo scientiæ practiciæ,

& omnium cognitionum illius est ad executionem sui subiecti, ac finis, istiusmodi autem ordo non est reciprocus, cum fieri non possit, vt sicut regulæ practiciæ dirigunt ad executionem alicuius finis, ita hic ad regularum effectum iam præsuppositam nihilominus dirigat, & in actum agendum incumbat: quapropter talis ordo naturalis cum mutuis, & reciprocus non sit, sufficit ad constituendum obiectum attributionis scientiæ practiciæ: haud ergo in illa ad determinationem, & arbitrium Philosophorum, recurrendum est, quando, vt dixi, nulla ad id necessitas cogit.

31

Altera ratio, & confirmatio prioris hæc ab aliquibus affertur. Si qua ratione ordo attributorum in scientia practica, non verò speculatiua esset tantum naturalis, maxime quia obiectum attributionis vtriusque, esset vtriusque finis, alterius assequibilis, alterius exequibilis. Hic rotius nostræ sententiæ cardo, quo aliarum facultatum ab aliis nuper adductum discrimen vertitur. Cum enim finis intrinsecus, & naturalis scientiæ speculatiuæ sit mutuus, & reciprocus, ac non vnus, sed multiplex, nequit esse eius obiectum attributionis, ac proinde hoc cum solo illius sine arbitrario idem esse censendum: contra vero, cum finis naturalis scientiæ practiciæ per eius regulas exequibilis non sit mutuus, & reciprocus, sed vnus, & irreciprocus, se quidem solo poterit esse obiectum attributionis. Atqui neutrius scientiæ subiectum, earum est finis: nostræ igitur opinionis ratio nullius est momenti, vt potè, quæ falsum principium assumit. Minorem probant primò in scientia speculatiua: huius enim finis est veritas obiectiua, in cuius contemplatione sistit; veritas autem obiectiua est connexio, & habitudo subiecti ad prædicatum, totaque conclusio obiectiua, atque adeo non est solum subiectum conclusionis scientificæ: sed eiusmodi subiectum est obiectum attributionis, vt certo certius: ergo obiectum attributionis, & finis scientiæ speculatiuæ non sunt idem: alter enim à subiecto distinguitur, secus vero alterum. Probant secundo eandem minorem in scientia practica: quid enim est operabile per eius regulas, eius etiam est obiectum attributionis: at non solum finis, sed etiam media sunt operabilia vi, ac directione scientiæ practiciæ; quando eius quidem officium est, media ad executionem finis necessaria vestigare, & disponere, eaque de causa opus, eius finis esse dicitur, quoniam in operis principia querenda, & præcipienda incumbit.

32

Tertiò eandem minorem inductione probant. Finis Astrologiæ est nauigatio, agricultura, aliaue similis actio humanæ vitæ idonea: eius enim facultatis munere scitur, quo sydere terram vertere, quo vites vlmis adiungere, quo pelago se credere, seu subducere quempiam conueniat: at Astrologiæ subiectum est sola syderum conuersio, situs, natura, influxus. Item artis illius quæ bellica instrumenta frabicat, ac suppeditat, finis est belli exercitium, & præliorum confictus: subiectum verò arma ipsa, veluti scuta, galeæ, pila pilis minatura, torquentia pyria, & id genus cætera. Rursus obiectum attributionis scientiæ militaris est castrorum metatio, stationum ordo, aggerum exstructio, urbium obsidio, præliaturi exercitus in cornua dispositio: sicut enim obiectum attributionis scientiæ speculatiuæ, est id, quod assequi fatagit, ita etiam subiectum scientiæ practiciæ est, quod exequi intendit, siue quod exequendum præcipit: eiusmodi autem est respectu scientiæ militaris, quodlibet eorum, quæ iam iam recensuimus, ea ergo erunt illius

illius subiectum: sed non sunt finis illius, sed potius victoria, & pax illam consecuta: namque, ut est in vulgari versiculo: nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

33 Caterum hoc argumentum non tam nostram sententiam, quam communem fere omnium impugnat: ut enim superius cap. I. vidimus Aristoteles, B. Thom. Capreol. Duran. Vasq. ac ceteri omnes censent obiectum attributionis scientiæ esse eius finem, & reliqua ad eum obiecta referri, atque hanc secundâ subiecti conditionem eo consensu affirmant, ut nostri Conimb. supra laudati, ab omnibus philosophis illam diuturno vsu receptam esse adasserant. Solum video Theodorum Smilingum. q. 2. præmiali n. 74. & P. Amicum tract. 27. log. disp. 3. q. 2. dubit. 6. in oppositum inclinare, quanquam etiam vereor, ne de fine remoto sermonem habeant, ubi cum cum obiecto attributionis idem non esse innuunt. Alij vero Neothetici contrâ nos citati, potius nobis expresse fauēt, præsertim Auerſa q. 2. log. sect. 5. §. *ex dictis autem* & sequenti. Hurtadus d. 1. log. sect. 7. num. 38. & sequentibus, Rodericus disp. 1. log. sect. 3. subf. 6. n. 47. Ratio autem huius doctrinæ superius insinuata est manifesta: quod enim obiectum attributionis eiusmodi dicatur, curam esse potest, nisi quia est finis, cui cetera omnia attribuantur? Discurrenti etiam per omnes facultates id ipsum liquido constabit: namque, si de speculatiuis sermo sit, inuenietur idem earum esse obiectum attributionis, & finem: fac enim Physicæ v. g. subiectum esse corpus mobile, Metaphysicæ ens abstractum à materia, & Theologiæ Deū, profectò huiusmodi subiecta, aut quæcunque assignentur alia, sunt etiâ fines, in quorum assequutionem prædictæ scientiæ referuntur. Sin autem sermo sit de facultatibus practicis, opera, & finis, quorum gratia sunt inuentæ ab earum etiam subiectis ne utique distingui constabit: canus enim artis canendi ut finis, sic etiam est obiectum attributionis, pingendi pictura, ædificandi ædificium, & cuiuslibet alterius artis suum opus, uti Auerſa supra citatus animaduertit. Vide Bonauen. q. 1. prologi, ubi expresse nobis fauet.

34 Ad argumentum igitur respondeo, falsum esse, quod assumit, finem videlicet scientiæ, & eius subiectum distingui. Verius enim, esse idem, ut hactenus dicta ostendunt. Ad primam probationem contrariâ dico, totam veritatem obiectiuam, siue habitudinem subiecti ad prædicatum esse finem, qui scientiæ, id est, qui per eam à nobis intenditur sciri, quod solum obiectio conuincit: cæterum solum subiectum esse finem, cui conuenit ea habitudo, & de quo eam scire, & cognoscere cupimus. Vel paulo aliter: id cui intendimus lucem, per quam innotescat, siue eius connexionem cum aliquo prædicato, totamque veritatem obiectiuam, est duntaxat ipsum subiectum; conclusio vero obiectiuâ, siue lux ipsa per quam innotescit, est finis quem intendimus. Hac ratione sanitas dici consuevit finis *qui*, & persona eam receptura finis *qui*.

35 Ad secundam probationem contrariam dico, sicut non omne quod est cognoscibile merito scientiæ speculatiuæ, eius est subiectum, sed solum id, quod vltimò in ea cognoscitur, & propter quod cetera cognoscuntur; ita similiter non omne, quod est operabile vi artis practicæ, eius forsitan esse subiectum, sed solum id, quod per eam est vltimò operabile, & in cuius operationem regulas suas potissimum destinat. Proinde, quamuis media artis practicæ, beneficio illius sint factibilia, nihilominus, cum non sint iuxta aduersarios eius finis, ita nec etiam erunt eius

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

subiectum. Respondeo secundo, & permitto quidquid est operabile per regulas scientiæ practicæ, id esse eius obiectum attributionis, adeoque media, quæ disponit, & vestigat, esse quoque eius subiectum. Caterum hinc nihil aduersus meam sententiâ. Quod ut clareat, prænotandum primo media artis practicæ denominare rem ei subiectam proximè exequibilem, etsi ab eius actuali exequutione multoties separentur: rursus secundo rem in quam potissimè intendit ars practica prout proximè exequibilem, esse eius finem per se loquendo: ipsa enim executio est eius finis quodammodo per accidens, ut est ostensum in log. lib. 2. tract. 2. inter diluendas obiectiones aduersus nostram de obiecto attributionis ipsius logicæ sententiâ. His annotamentis præiactis, aio, media, ut sunt obiectum attributionis, siue subiectum, ita etiam constituere, & complere eius finem, ut potè quæ rem proximè exequibilem denominant, in qua exequibilitate finis per se consistit. Quod autem dicuntur media, & non finis, nihil refert: tum quia hoc potissimum intelligendum est de fine per accidens, & executione ipsa: tum etiam quia neque sunt finis per se in recto, sed duntaxat in obliquo, eo quod instar cuiusdam formæ rem arti vltimò subiectam exequibilem constituent: quo pacto cognitio dici non solet cognitum in recto, sed solum in obliquo.

36 Quod ad inductionem tertio loco nobis obiectâ attinet; Astrologia habet quidem pro fine nauigationem, & agriculturam, sed extrinseco duntaxat, non vero intrinseco, & proximo: cum enim speculatiua sit non ea, sed ars nauigandi, & agri colendi docet, quatenus talia opera sint exercenda, & per actus suos illa respicit: nobis autem sermo est de solo fine intrinseco, & proximo, quando finem scientiæ, & eius subiectum iuxta æstimamus. Porro ars conficiendi instrumenta bellica duplex est, alia architectonica, & perfecta, alia imperfecta, & ne utique architectonica: priori modo sumpta non est solum ars, sed infus per scientia, causam namque sui operis reddit, & non tantum quomodo arma, sed etiam curam eo modo sint faciendâ, nimirum quia ita sunt apta ad exercitium belli præcipit, & considerat: quocirca cum in idem recidat, arma prout instrumenta practica belli, & bellum prout vi illorum exequibile contemplari, ars illa ita sumpta exercitium belli ut velut finem intrinsecum, sic etiam velut subiectum intueretur. Posteriori modo vsurpata, & quatenus est tantum ars sola, arma respicit, & exequitur, vsum vero belli propter quem sunt, ne utique curat: proinde nihil mirum, si vsum belli, quem finem duntaxat extrinsecum habet, velut obiectum attributionis nequaquam respiciat. Eadem ratione ars militaris dummodo perfecta, & architectonica, victoriam, pacemque velut suum intrinsecum, & obiectum attributionis sibi præstituit, secus vero si sit imperfecta, & in sola prælia, ac martialia pericula, & non vltius interinsece feratur. Quod autem diximus, artem instrumentariam respectu belli, aliam esse perfectam, quæ belli vsum, causamque cur arma sint faciendâ considerat; aliam imperfectam, quæ circa sola præliorum instrumenta, non vero eorum finem, causamque versatur: id tam de ipsa, quam de alia quacunque arte docuit Aristoteles lib. 1. Metaph. cap. 1. & ibidem Fonseca littera R. & reliqui interpretes, apud quos nihil hac nostra distinctione familiaris.

37 Verum enimvero non leues hinc difficultates insurgunt. Prima est: quoniam artis instrumentariæ respectu belli, si perfecta, & architecto

chitectonica sit, & artis bellicæ, seu militaris eundem esse finem intrinsecum fassi sumus, nempe usum belli, quem ambae procurant: atqui vtriusque non est idem subiectum: finis ergo intrinsecus, & subiectum scientiæ, artivse in idem neutiquam recidunt. Rursus 2. ut alio exemplo res magis eluceat, ars equestris habet pro fine intrinseco directionem equi, eundem etiam finem intrinsecum habet frænofactoria, si perfecta sit, & architectonica, utpote quæ equitatione provt fræno, & aliis instrumentis similibus exequibile reddit, ac per actus suos respicit: Constat autem, eas artes in idem obiectum attributionis minimè ferri. Præterea 3. aliæ artes etiã nō subalternatæ, aut subordinatæ v.g. ars equestris, & ars conficiendi pulveris pyrij eundem habent iuxta nos finem intrinsecum, nempe usum belli, ac martis opus, cum tamen certo certius sit, diversum esse vtriusque subiectum. Vltèrius 4. eadē ars diversos habet fines intrinsecos, v.g. ars equestris usum belli, necnon etiã varium, ac multiplicem usum pacis quando non minus hunc, quam illum proximè exequibile facit: quod autem ita per eam est exequibile, id iuxta nos est eius subiectum, nisi sit imperfecta, ac neutiquam architectonica: at tanquam indubitatum statuimus vnam, eandemque artem, aut facultatem non posse eidem attribui subiecto: hoc ergo, & finis intrinsecus longo interstitio dissident. Tandem beatitudo naturalis hominis est finis intrinsecus, tam philosophiæ naturalis, quam moralis, utpote quem ambae per aliquos actus suos respiciunt, ut docet P. Fonseca lib. 4. metaph. c. 1. q. 2. sect. 2. initio, & P. Hurtadus disp. 1. metaph. sect. 8. §. 7. fine, utque desumi videtur ex Aug. lib. 8. de civitate Dei cap. 9. & lib. 19. cap. 1. & ex B. Thom. variis in locis: vtriusque autem nequit esse idem obiectum attributionis: huius ergo, & finis intrinseci ratio, & conditio longè diuersa.

38 Difficultates hæc poterunt haud ægrè dissolui, dummodo attentè consideretur, quinam sit cuiusvis disciplinæ finis: quodnam subiectum? horum enim ignoratione omnis error, & æquivocatio in præsentis solet irrepere. Ad primam earum, quæ sunt propositæ, dicendum est, usum belli non nudè sumptum, sed provt exequibilem bellicis instrumentis esse finem intrinsecum artis illius, quæ militaris ministra est, eique subalternatur: quo fit, ut eiusmodi, artis instrumentariæ finis duo complectatur, arma scilicet, & bellum: hoc, inquam, velut exequibile, illa tanquam executiva, sicut finis noster vltimus duo comprehendit, visionem beatificam, provt est assecutiva Dei, & hunc provt munere illius est assequibilis: at vero ars militaris si nuda ars sit, & imperfecta, solum usum belli, ac martia exercitamenta finem sibi præstituit: si autem perfecta sit, & architectonica, ac non ars mera, sed etiam scientia, ita quidem ad victoriam, & pacem armis, ac bellicis discriminibus obtinendū veluti finem intrinsecum aspirat: ex quibus palā est, finem artis instrumentariæ belli, quantumlibet architectonicæ, finemque etiam artis bellicæ qualicūque perfectionis, aut imperfectionis gradu prædicta omnino distinguere, cum hæc interdum in solum exercitium belli, interdum verò in victoriam, & pacem cōtendat, illa verò in neutrum horum intrinsecè, & vltimò feratur: quanquam ergo subiectum, & finis intrinsecus disciplinæ sint idem, haud propterea tamen bellica scientia, & quæ ei instrumenta parat, eodem subiecto potentiuntur.

39 Ad secundam difficultatem similiter dicendum est, artis equestris, siue mera ars sit, solumque doceat, quomodo regendus equus, qua animositate incitandus, qua vi sistendus, qua mollicie frangendus, qua

dexteritate flectendus, quo labore domandus, qua volubilitate circumagendus: qua tandem felicitate ad nutum temperandus; si verò architectonica sit, & perfecta, horumque omnium causam, nempe de hostibus victoriam, aliumvè finem iis exercitamentis assequendum, porro discutiat, eius, inquam, finem distinguat, ab eo quem sibi propositum habet frænofactoria, videlicet, quæ nec victoriam intrinsecè considerat, nec etiam solum equi moderamen, eiusque rectum, & scelicem usum, ut nuper in simili ostensum manet. Ad tertiam difficultatem dicendum est, artem equestrem, artemque pulveris pyrij elaborandi, ut eodem subiecto carent, ita etiam in diversos fines intrinsecos ferri: altera enim bellum, provt his instrumentis, altera vero provt aliis longè diversis geris aptum considerat: quemadmodum dici solet, scientiam rationalem, ac moralem diversis finibus contineri, quoniam vna omne ens, provt verè, ac rectè cognoscibile, alia verò illud idem, provt benè, ac piè amabile, conuertitur.

40 Ad quartam difficultatem dicendum est, artem equestrem non habere iuxta nos multos, diversosque fines intrinsecos, sed vnum duntaxat, nempe quidquid equitandi recto, & prospero usu est exequibile, provt tale, siue id sago, siue toga sit gerendum, & siue ad bellum siue ad pacem spectet. Ad postremam difficultatem dicendum est, beatitudinem naturalem, quatenus exequibilem merito honestatis, siue bonitatis moralis, esse finem intrinsecum Ethicæ, siue scientiæ moralis, si architectonica sit, & excellentem quandam scientiæ gradum obtineat, si minus, solam bonitatem moralem eius finem intrinsecum esse, iuxta dicta iterum iterumque. Porro eandem nostram felicitatem naturalem attingi quidem intrinsecè à physica, quæ ut hominem, sic etiam perfectissimam, & vltimam eius operationem necessaria ratione discutit: ceterum eam attingi magis, ut finem ipsius hominis munere alterius scientiæ, videlicet moralis, Deique potissimum adiutorio consequendum, quam velut finem ipsius scientiæ naturalis, siue physicae. Haud enim hæc refertur ad eius executionem, cum nullas ad eam regulas exhibeat, haud etiã ad eius assecutionem, siue perfectam cognitionem, sed potius ad ens mobile, siue corporeum, ac præsertim hominem ipsum assequendum, & perfectè cognoscendum, quæ duo vera sunt, seu relatio ad finem scientiæ, eiusque subiectum sit naturalis, seu arbitraria. Ex eis autem manifestum est, non esse eundem Philosophiæ naturalis, ac moralis finem intrinsecum, quemadmodum non est vnum vtriusque subiectum: primò, quia moralis quodammodo sumpta respicit vltimò solam bonitatem moralem, quam tamen naturalis haudquaquam curat, sed tanquam nihil ad se omnino prætermittit: deinde, quoniam illa alio accepta modo finem habet intrinsecum beatitudinem nostram provt exequibilem vi honestatis moralis, hæc vero eam non respicit, nisi ut in sola eius contemplatione sistat: item terriò quia beatitudo non scientiæ naturalis sed solius scientis est finis, cum tamen è contrario scientiæ moralis, & non solius addiscendi terminus censeatur. Atque hac ratione intelligendi sunt authores in argumento citati, & nobis obiecti, tum ne sibi, tum ne veritati repugnent.

41 Tertia, ac postrema ratio adversus posteriorem nostræ doctrinæ partem confici solet à Zabarella, & aliis inferens referendis, hunc in modum. Nulla facultas practica obiecto attributionis, siue subiecto gaudet: posterior ergo assertio nostra de subiecto ut aiunt non supponente tota est, relationemque naturalem

turalem attributorum ad subiectum, quod nullum est, planè adstruit. Sed huic obiectioni factum est satis in Dial. lib. 2. t. 2. ad finem.

C A P V T V.

Quatenus alij de obiecto attributo, & attributionis eorumque relatione philosophentur?

Prima sententia est aliquorum quorum tacitis nominibus meminit P. Rodericus disp. 2. log. sect. 5. subf. 1. ordinem attributorum ad subiectum, siue attributionis obiectum, esse intrinsecum in esse rei, eo quod omnia attributa scientiæ, velut essentia, proprietates, causæ, effectus, partes integrantes, subiectiua, aut essentialia, ad obiectum attributionis comparentur: cum autem vsuueniat, ut in scientia aliqua plura sint obiecta, quibus ex conditiones competunt, inde est ut prædicti auctores vnus scientiæ plura attributionis obiecta admittant: quapropter in Dialecticam quatuor obiecta attributionis congerunt, videlicet propositionem, argumentationem, modum sciendi, & actum intellectus latissime fufum, & prout triplicem operationem suam comprehendit: simili etiam modo Physicæ, & aliis facultatibus plura, vel pauciora subiecta assignant.

Cæterum hæc philosophandi ratio P. Roderico supra displicet, & mihi etiam non probatur. Primo quoniam syllogismus fallax, si quod sentiunt, multi eorum, quibuscum disceptamus, propriè syllogismus non est, obiectum Dialecticæ non esset, cum inesse rei modo explicato ad aliquod subiectum ex quatuor enumeratis non spectet. Consequens autem est absurdum iuxta omnes. Dices esse contrarium syllogismi, siue argumentationis ut sic, ac proinde ei attribui oportere penes doctrinam Aristotelis, qui contrariorum eandem esse disciplinam asseruit. Contra, quia eadem ratione quodcumque aliud obiectum argumentationis attributum dici posset, videlicet quoniam eius concreatura est, & ad ipsum inesse rei quodammodo spectat. Quod si propterea recurratur ad ordinem intentionalem, & inesse cogniti, quo opposita iuxta se posita magis elucescunt, qui quidem ordo inter rem, & quamuis eius concreaturam non interuenit, iam prædicta sententia solum ordinem inesse rei obiecti attributionis, & attributorum proprium statuens, non defenditur, sed deseritur.

Præterea 2. ea sententia mihi displicet: quoniam præter quatuor illa subiecta, quæ Dialecticæ assignat, alia plura possent assignari, terminus v. g. ad quem quidquid in Dialectica tractatur, inesse rei modo explicato refertur, ut attendenti clarebit. 3. quoniam Metaphysicæ tot essent obiecta attributionis, quot eius obiecta sunt, si vnum ens rationis excipias, videlicet ens, substantia, Angelus, Deus, & horum attributa, & effectus, ad quorum quodlibet reliqua inesse rei referunt, si paulo attentius expendantur. 4. Quia arithmetica obiecta attributionis, non tot quin plura essent, à Deo ut ipsa arithmetica subiecta sua in numerum reducere non posset. Sequela probatur: quia ab unitate deriuantur infiniti numeri, ac sine numero crescunt, & adscendunt, eorumque quilibet cæterorum ordinem, & habitudinē physicam ratione explicata terminat. Item 5. vnum esset obiectum attributionis omnium scientiarum, atque adeo omnes in vnam coalescerent, contra quam hi auctores, & reliqui communiter sentiunt, Mirandulano hac in re dissentientes: sequela probatur, quia attributa omnium scientiarum ad Deum, vel ens in communi inesse rei referuntur: omnia igitur vel Deum, vel ens, vel vtrumque sicut

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

obiectum attributionis intuebuntur. Tandem superius probatum est, fieri congruè non posse, ut vna eademque scientia in plura obiecta attributionis, sub vno neuitquam contenta diffuset.

Secunda aliorum sententia priorem restringit, ac præter ordinem illum intrinsecum in esse rei postulat, ut eius terminus sit obiectum illud, quod in scientia magis vnum, atque in pauciora inferiora fufum, minusque prædicabile, & commune fuerit: quamobrem obiectum attributionis cuiusvis scientiæ vnū, & non multiplex assignant, ac Dialecticæ non aliud, quam argumentationem in communi esse statuunt, similique modo de aliis scientiis sentiunt. Displicent tamen: primo ob rationes factas: secundo quoniam obiectum attributionis arithmeticæ, & mathematicæ non tam esset quantitas continua, & discreta, quam vnitas, & punctum, contra quam ipsi, & reliqui communiter existimant: sequela probatur: quia vnitas est obiectum magis vnum totius arithmeticæ, & punctum totius mathesis, aliunde vero reliqua obiecta vtriusque scientiæ in esse rei ad punctum & unitatem referuntur: tanquam partes subiectiua, ut cum punctum in terminatiuum, & continuatiuum, & vnitas in priorem, & posteriorem dissecatur: tanquam effectus, ut cum numerus unitatibus, & figura punctis veluti partibus, & causis intrinsecis constituuntur: tanquam principia metaphysica, ut cum punctum, & vnitas per genus, & differentiā definiuntur: ac demum tanquam proprietates, ut cum punctum penetrabile cum parte, & vnitas cum numero asseruntur. Partes etiam integrantes non intrinsecè, sed extrinsecè puncto, & unitati possunt attribui: altera enim quodammodo cõpletur, & perficitur per alias unitates, non quibus constituitur, sed quibuscum in eundem numerum coalescit: alterum etiā per alia puncta, & partes quantitatis continuæ. Quod si partes integrantes intrinsecas desideras, certè numerus dualis numerorum minimus, & linea dimensionum omnium magis indiuidua, vtriusque scientiæ subiecta erant appellanda.

Rursus 3. displicet ea sententia: quoniam non est quamobrem in eadem scientia totali plura obiecta æque vna, ac relationem cæterorum obiectorum in esse rei terminantia reperiri nequeant, aut etiā modo non reperiantur: igitur in ea scientia nullum erit obiectum attributionis, cum nullum cæteris unitate præstet. Antecedens liquet: tum quia plura æqualis bonitatis, & veritatis in eandem scientiam conueniunt, aut certè possunt, præsertim si diuersæ animalium species, de quibus agit physica, & Angelorum species, de quibus differit metaphysica v. g. non obstat earum discrimine, possint esse æquales: ergo & obiecta æqualiter vna in eandem aliquando scientiā coalescent: tum etiā quia natura diuina, personalitas patris, personalitas filij, ac etiā Spiritus sancti quoad unitatē, & reliquas perfectiones inuicè sunt æquales, ad eandemque Theologiam spectant: quæuis etiā diuersarum specierum ad Physicam, Metaphysicam, aliamque quamuis scientiam attinentium est æque vna, ut potè quæ mediam quandam unitatem inter genericā, & indiuidualem, hæc maiorem, at illa minorem sibi vendicat. Quod autem obiectorum æqualium penes unitatem, ad eandemque scientiā attinentium quoduis eius genij sit, ut reliqua ad illud inesse rei referantur, certò certius est, quando in quauis scientia nullum fermè obiectum est, ad quod reliqua ita non referantur. Tandem in eo peccat hæc sententia, quod rationes minus communes velut subiecta scientiis assignet, cum potius magis communes, simplices, & abstractæ assignari soleant, ac debeant, v. g. ens ut sic Metaphysicæ, corpus, ut sic Physicæ, quantitas ut sic

S 3 Mathema

mathematicæ, bonitas moralis vt sic Ethicæ: quocirca rectè dixit Gabriel quæst. 9. prologi. artic. 1. littera E, sine de subiecto scientiarum; & communiter assignatur subiectum communius in illo ordine, & simplicius, id est minus connotarium; & secundum hoc possunt saluari, quæ communiter dicuntur de subiecto attributionis in scholis modernorum.

47 Tertia sententia, quam tuerentur multi cum Durando quæst. 5. prolog. num. 9. Hurtado disp. 1. log. sect. 7. §. 41. & Arriaga disp. 2. sect. 5. sub. 1. n. 46. docet, ordinem attributorum ad subiectum esse intentionalem, & eum quo cognitio illorum ad cognitionem, & perfectam notitiam huius veluti ad finem refertur eamque instar causæ formalis extrinsecæ, ac directiue potest, ac solet inferre. Verum ne hæc sententia difficultate vacet: namque cognitio essentia v. g. rationalitatis discursuum experimento comparata in cognitionem proprietatis, nempe risibilitatis ducit, hunc in modum: omnis homo est rationalis, rationale autem omne est risibile, omnis igitur homo est risibilis. Similiter cognitio proprietatis humanæ, siue risibilitatis ipso ridendi effectû excitata, cognitionem essentia humanæ, siue rationalitatis parit, hoc pacto: omnis homo est risibilis, risibile autem omne est rationale, omnis igitur homo est rationalis: haud igitur magis cognitio essentia ad comparandum proprietatis notitiam suapte natura ordinatur quam e conuerso: quodcumque ergo scientia differit de essentia, & proprietate, differit autem quævis semper, non erit potior ratio, quapropter vna, quam alia sit eius obiectum attributionis, si ordo ille cognitionum reciprocus, & alterutri naturaliter conueniens spectetur. Quod etiam argumentum confici potest in causa, & effectû, cum causa immediate, & per se cognita ducat in notitiam effectus, & effectus immediatè ac per se cognitus ad notitiam causæ intellectum eleuet: quamobrem non magis causa, quam effectus communis scientia subiectum dici poterit si solus ordo intentionalis ipsarum cognitionum spectetur, atque ad arbitrium philosophorum non recurratur, vti supra sæpius arguebamus.

48 Quarta sententia à priori aliquantulum discrepat, & docet, relationem illam intentionalem, seu in esse cogniti attributorum ad subiectum non tam esse, quoad genus causæ formalis extrinsecæ, & quasi efficientis, quam quoad genus causæ formalis intrinsecæ; sicut obiectum attributionis scientia sit, cuius perfectissimam, & quasi comprehensiuam cognitionem reliquæ cognitiones non tam inferunt, vel efficiunt, quam velut partes natura sua, & independentè à philosophorum arbitrio constituunt: quare hæc opinio modum sciendi, vt est obiectiua idea vnius per se integræ scientia obiectum attributionis Dialecticæ statuit, & accommodatè ad eandem doctrinam aliarum facultatum subiecta definit. Haud tamen prioris sententia difficultatem emollit, sed potius auget: proinde impugnatur primo: quia cognitiones vnius scientia, siue actuales, siue habituales inter se neutiquam vniuntur, sicut etiam actus, & habitus voluntatis physica, & vera vnione carent; ad quid enim vnio illa actuum, & habituum intellectus, aut voluntatis conferre potest? ergo instar causæ intrinsecæ perfectissimam cognitionem vnius obiecti reliquæ propriè non constituunt, quando causa formalis intrinsecæ veram vnionem postulat. Item secundò: non est quamobrem spectata latitudine cuiusvis scientia, totaque materia illius, cognitio vnius obiecti directiue, &

veluti efficienter pariat exactam cognitionem alterius, quam è diuerso, vt numero superiori probatum manet, & ab huius sententia authoribus non negatur: similiter ergo non est cur in scientia qualis illa cunque sit, cognitio vnius obiecti instar causæ formalis intrinsecæ pariat perfectissimam cognitionem alterius obiecti, quam è contrario, ac proinde non erit quapropter vnum potius quam aliud sit obiectum attributionis scientia, si solus ille mutuus ordo spectetur.

Rursus tertio: non est cur omnes cognitiones Dialecticæ constituent intrinsecè perfectissimam cognitionem modi sciendi, vt hi volunt, quam actus intellectus vt sic, aut demonstrationis, aut definitionis, tamet si aliquam possint destinare parere, & constituere: ergo modus sciendi dignitatem subiecti, ac finis Dialecticæ præ ceteris non obtinebit. Pari ratione in dubium reuocari potest, quodcumque obiectum attributionis Physicæ, quodcumque Metaphysicæ, aut aliis scientiis assignarint. Ad hæc quarto: plus differt cognitio Dei à cognitione Angeli, quam cognitio Angeli à cognitione cæli, sicut etiam illa obiecta maiori interstitio, quam hæc inuicem dissident: sed cognitio Dei, & cognitio Angeli, ex horum authorum principiis, cognitionem perfectissimam, & quæsitissimam alicuius obiecti attributionis intrinsecè constituunt, ea videlicet, ad quam tota Metaphysica ordinatur: pariter ergo cognitio Angeli, & cognitio cæli cognitionem perfectissimam, ac veluti comprehensiuam alicuius obiecti communis intrinsecè constituent: adeoque cælum, & Angelus idem obiectum attributionis respicient, ad eandemque scientiam pertinebunt, quod est omnino falsum: aut certè ordo ille intentionalis, in genere causæ formalis, intrinsecus, & essentialis, ac neutiquam arbitriarius constituere nequit obiectum attributionis. Tandem cognitiones diuersarum scientiarum per modum causæ directiue, & veluti efficientis inuicem ordinantur, & mutuò se inferre, possunt, si non quoad indiuiduationem, at quoad speciem, & cum Metaphysica principiis Dialecticis, & Dialectica Metaphysicis vtiut similitur ergo per modum causæ formalis intrinsecæ inuicem comparari, & ad vnius obiecti perfectissimam notitiam constituentem sponte sua coalescent: ea igitur relatio seorsim ab arbitrio philosophorum insufficiens erit ad vnitatem scientia, & obiecti attributionis; vel quæ diuersæ scientia censentur diuersitatem exuent, & in vnâ omnes iuxta Mirandulani placitū abibunt.

50 Quinta sententia præter ordinem illum intentionalem, & in esse scibilis, qualis qualis sit, exigit, vt quod est obiectum attributionis, sit præcipuum, & magis principale obiectum inter omnia, de quibus scientia disputat: Atque ex hoc principio cui perspicue fauent Gabriel quæst. 9. prologi. artic. 2. conclus. 3. litt. H. & P. Hurt. disp. 1. log. sect. 7. §. 19. colligunt aliqui huius sententia assertores, definitionem esse obiectum attributionis Dialecticæ: alij solam conclusionem: plures demonstrationem: omnes vero solum Deum obiectum attributionis Metaphysicæ statuunt, atque ex eodem principio cæterarum scientiarum obiecta designant. Atterum displicent primò propter rationes factas, quæ saltem id impugnant, in quo hæc sententia cum anterioribus conuenit. Mox, aut sermo est de maiori perfectione explicita, aut de implicita, vel explicita ex a quo? Si primò, non demonstratio vt sic, sed sola à priori, quæ perfectior est, nec conclusio, sed quæ euidens, & directa est, nec definitio in cōmuni, sed definitio conclusa, & irrefraga

irrefragabilis erunt obiectū attributionis Dialecticę. Sin autem secundum, non magis Deus, quam ens in communi, aut ē conuerso erit obiectum attributionis Metaphysicę, cum Deus totam perfectionem entis quam latē funditur, formaliter, aut eminenter includat, & tam perfectus sit, ac ens in communi, & ē cōtrario ens in cōmuni saltem implicitē, Dei perfectionem adæquet, propter id quod Deum ipsum, & reliqua entia implicite, ac virtualiter contineat. Præterea tertio: Deus contrā omnes philosophos philosophiæ naturalis esset. subiectum, cum velut prima causa sit eius obiectū, ad quod reliqua in esse scibilis referuntur, & quod est reliquis infinite perfectius. Postremo in eandem scientiam duo obiecta & qualis perfectionis conuenire possunt, uti suprà diximus; igitur in ea scientia nullum erit obiectum attributionis, quod tamen est falso falsius.

C A P V T V I.

Alie sententia relate, & impugnata.

51 **S**exta sententia est, subiectum proprium, & formale cuiusvis scientiæ, siue obiectum attributionis illius esse rationem formalem sub qua prædicatur quicquid in singulis, & omnibus totius scientiæ conclusionibus enuntiatur: ita cōmuniter Thomistæ cum Capreolo q. 4. prologi conclus. 48. conclus. 4. quibus etiam adhæret Richardus q. 6. prolo. in respons. ad 5. argum. his verbis, *subiectum scientia dicitur illud quod actu importat illam formalem rationem, sub qua considerantur omnia, quæ tractantur in scientia.* Cæterum hæc sententia confundens obiectum attributionis cum ratione formali sub qua iure merito nunc reiciit solet: quoniam eadem scientia plures rationes formales, sub quibus respicit, Dialectica, v. g. res ut definibiles ut diuisibiles, ut enuntiabiles, ut demonstrabiles, quæ & aliæ similes sunt diuersæ rationes formales non minus, quam visibile, audibile, odorabile, & quæ cætera diuersos sensus specificant: atqui eadem formaliter scientia diuersa subiecta sibi non vendicat. Quamuis autem Thomistæ huic argumento respondere soleant, vnicam esse simplicissimam rationem sub qua vnde tota scientia vna simplex qualitas euadit, cæterum quod hac in re hallucinantur, supra tractatu. 3. huius libri ostensum est, quando de vnitæ scientiæ habitualis sermo nobis erat. Rursus 2. impugnantur; quoniam Deus prout absolute Deus, est subiectum proprium, ac formale Theologiæ, ut B. Thom. 1. p. q. 1. art. 4. neque non Capreolus, & communiter aliis Thomistæ docent atqui non est ratio formalis, quam omnes conclusiones Theologicę attingunt, aut quod iuxta est: earum obiectum formale, sed præterea multa alia Dei opera nobis reuelata, prout reuelata.

52 **A**t obiciunt Thomistæ B. Thomam 1. p. q. 1. art. 7. *subiectum ita se habet ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam, vel habitum, proprie autem assignatur obiectum alicuius potentie, vel habitus, illud sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam vel habitum, sicut homo, & lapis referuntur ad visum in quantum sunt colorata, vnde coloratum est proprie obiectum visus: haecenus ille.* Verum sanctus Doctor non penes omnia obiectum formale, siue rationē sub qua cum subiecto contendit, quasi sicut nullus actus potentie est, quin obiectum eiusmodi intrinsece, ac proxime non feratur, ut cernere est in visu respectu colorati, ita similiter nullus actus scientiæ sit, qui subiectū tanquā rationem formalem intrinsece, ac proximē non consideret, hoc enim & sibi contrarium, & veritati non

consonum esse ex nuper dictis liquet. Duntaxat ergo id vult, sicuti potentia nihil perspicit nisi propter rationem formalem, ita etiam scientiam nihil considerat nisi propter subiectum veluti finē suum: Antamen talis sit relatio attributorum ad subiectum, qualis est obiectorum partialium, ad rationem formalem, obiectumque commune, eo loci non definit, sed in medio relinquit.

Septima sententia est Bonauentura in prolog. q. 1. triplex esse subiectum, siue obiectum attributionis cuiusvis scientiæ totalis: primum, ad quod cætera omnia obiecta reducuntur, velut ad primū radicale, quod reliquorum omnium perfectionem eminenter ac principij, & radicis instar continet; secundum ad quod cætera reducuntur veluti ad totum integrale: Tertium ad quod tanquam ad totum vniuersale reuocantur: Qua propter primo modo litteram, siue elementum esse subiectum grammaticę, punctum geometriæ, Deum Theologiæ: item secundo modo subiectum grammaticę esse orationem congruam, & perfectam, geometriæ corpus trium dimensionum capax, Theologiæ Christum. Rursus 3. modo subiectum Grammaticę esse vocem articulatam ordinabilem ad aliquid significandum, Geometriæ quantitatem continuam immobilem, Theologiæ res, & signa, siue Sacramenta, aut aliis verbis duplationem seu subduplicationem: atque eodem pacto reliquarum facultatum subiecta designanda esse eandem sententiam præter alios nominales sequitur Gabriel q. 9. prologi art. 1. Inueniens, *Pater quod scientia, quæ est aggregatiue vna, non est vnum subiectum, sed tot subiecta, quot conclusiones habentes diuersa subiecta, licet inter illa potest esse multiplex ordo, scilicet ordo predicationis, siue communitatis, ordo perfectionis, ordo totalitatis: & frequenter primum inter illa assignatur subiectum scientia aggregatiue. Sed sicut scientia aggregatiua in veritate non est vna scientia, sic nec habet vnum subiectum simpliciter, sed multa, inter quæ vnum potest esse primum aliquam primitate.* Et paulo infra ibidem; *tot sunt subiecta scientiarum quot sunt conclusiones scientiæ, siue scientia conclusionum diuersa subiecta habentes: Verum inter subiecta scientiarum multiplex est ordo, ut patuit, predicationis, scilicet perfectionis, & c. & secundum hoc inter illa multa est vnum subiectum primum in illo ordine, & hoc potest dici subiectum attributionis totalis scientiæ.* Postea art. seq. conclus. 3. totidem subiecta, & eadem quæ Bonauentura Theologiæ assignat Deum scilicet, Christum, res & signa.

Hæc quamuis veri quandam similitudinem habeat, vera tamen haud sunt. Quod enim eiusdem scientiæ plura sint subiecta, siue attributionis obiecta, eiusdem, inquam, non materialiter, sed etiam formaliter, late manet impugnatum. Deinde iuxta hanc sententiam eiusdem scientiæ eodē quidem modo plura nequeunt esse subiecta, solūque diuersimode possunt esse plura. At quod eodem etiam modo debeant esse plura, si standum sit eius opinionis principiis absque negotio probatur: namque in metaphysica Deus est principium radicale, ad quod cætera eius obiecta reducuntur, & ens in communi eandem rationem principij radicalis obtinet: sicut enim Deus est radix physica omnium, quæ in metaphysica tractantur eorumque perfectionem continet, ita ens est radix metaphysica illorum, eiusque ratione nostra prius est totaque eorum perfectionē cohibet: eius ergo facultatis duplex erit subiectū radicale, Deus videlicet, & ens. Simile argumentum confici potest in Theologia, cuius radicale subiectum quidni sit Deus absolute sumptus, pater itidem, filius etiam, neque non spiritus sanctus, quando eorum quicuius instar principij

53 4 perfectionem

perfectiorem omnium obiectorum Theologiae eminenti quodam gradu complectitur? Ad hoc tertio: superius euicimus, obiectum attributionis cuiusvis scientiae speculativae esse arbitrium: quod si vera haec opinio naturale potius erit, & ab authorum arbitrio independens. Rursus quarto: institui potest quaedam scientia de singularibus praesertim corruptioni non obnoxia, sicut quae eis rationes communes conveniunt, & ad facultatem reiciantur aliam: quidni vero? quando è contrario plerumque disciplinae rationes communes sine singularibus non obstante earum cognatione, & identitate discutunt: talis autem scientiae subiectum non esset totum univiale. Postremo: curram ordo ille in esse rei, seu partium actualium ad totum integrale, seu potentialium ad totum univiale, seu effectuum ad radicem unde promanant, quodlibet horum naturaliter constituat subiectum scientiae totalis, & non etiam similem rationem subiecti termino suo tribuat quivis alius ordo naturalis in esse rei, vel in esse cogniti, eorumque supra meminimus? non ergo tria, sed plura alia erant cuiusvis scientiae attributionis obiecta.

Octava aliorum sententia, priori non multum absumilis, tenet, obiectum attributionis adequatum esse, quod iarinsece includit, & comprehendit omnia, & singula subiecta, de quibus aliquid in scientia praedicatur, & concluditur: cum ergo bifariam contingat, ut unum aliquod plura intrinsece claudat, nempe aut univiale aut integraliter exinde fieri ut quavis scientia totalis duplex habeat obiectum attributionis, siue subiectum adequatum, alterum, quod omnia scientiae partialia subiecta, (quae quidem tot sunt, quot eius conclusiones) veluti totum univiale seu potentiale claudit, alterum vero, quod ea cuncta instar totius actualis, siue integralis ambitione sua coerceat. Hanc autem doctrinam exemplis ex Bonaventura nuper relatis explicant eamque his probamentis confirmant: ita se habet subiectum scientiae totalis respectu illius, quemadmodum obiectum formale ad potentiam, ut docet Beatus Thomas prima parte q. 1. art. 7. at obiectum formale potentiae claudit intrinsece cuncta eius particularia obiecta, nempe obiectum visus omnes colores, obiectum auditus omnes sonos: similiter ergo subiectum scientiae totalis cuncta eius subiecta particularia comprehendet. Secundo attributum scientiae totalis est omne illud quod in ea praedicatur; ecquid enim est, attribui aliquid alicui, quam quidpiam de eo praedicari? obiectum igitur attributionis est omne id, quod in tota scientia subiicitur. Tertio subiectum scientiae partialis, siue conclusionis demonstrativae est de quo aliquid in ea scitur, ut constat ex dictis huius initio tractatus: subiectum ergo scientiae totalis erit omne id, de quo aliquid in ea scitur, & enuntiatur. Quarto: quavis scientia partialis, siue conclusio scientifica intrinsece constituit, & integrat simul cum aliis una quandam scientiam totalem, v.g. Dialecticam: cuncta ergo subiecta partialia intrinsece constituent, atque complebunt unum quoddam subiectum totale, siue, quod instar est, subiectum unius cuiusdam scientiae totalis: hoc ergo ita & non aliter explicandum.

Enimvero displicet haec etiam opinio: primum quoniam subiectum attributionis, & subiectum praedicationis scientiae totalis confundit, cum tamen utrumque diversum esse omnes ferme scholastici censeant quotus enim quisque eorum non sequitur aut nostram de subiecto attributionis sen-

tentiam, aut aliquam ex septem quas haecenus retulimus, aut certe postremo loco referendam? nulla autem harum opinionum subiectum attributionis adequatum per subiectum praedicationis explicat, sed potius utrumque distinguit. Porro hanc utriusque subiecti distinctionem expresse tradunt Albertus, Henricus, Richardus, Marfilus, quos refert & sequitur P. Vasquez t. 1. in 1. par. q. 1. art. 3. disp. 7. c. 4. num. 8. ad initium. Rursus secundo haec sententia convenit cum opinione Gab. & Bonau. nuper relata quoad multipliciter obiecti attributionis, quoad relationem attributionum ad illud mere naturalem, quoad rationem totius univialis & integralis cuncta scientiae subiecta complectentem, aliaque multa superius impugnata: quod autem ab obiecto attributionis excipit totum radicale ceterorum obiectorum perfectionem eminenter continens, contra quam Gab. & Bonau. sentiunt, id in consequenter, & absque villo solido fundamento dicitur Tertio: subiecta particularia unius scientiae sunt communia non raro alteri, & de eodem subiecto plures scientiae diversa praedicata concludunt, verbi gratia, logica de substantia quod sit genus & univiale, & metaphysica quod sit ens, haec de Deo quod sit ens à se, illa quod sit individuum praedicabile, & subiicibile & quod ex quinque praedicabilibus non pauca de eo dici possint; illa de unitate quod essentialis univiale, haec quod sit proprietas entis. Alia plura subiecta partialia tam his, quam aliis facultatibus sunt communia. Proinde si obiectum, siue subiectum attributionis scientiae totalis sit collectio, & aggregatio subiectorum partialium, sane obiectum attributionis unius scientiae erit alteri quadantenus commune; adversus tertiam conditionem obiecti attributionis ab omnibus receptam. Tandem iuxta hac sententiam neque Deus esset subiectum Theologiae, neque corporea sanitas medicinae, neque interior animae sanitas affectuumque rectorum Ethicae, quae, & similia, tamen ab his authoribus admittantur, falso tamen sunt falsiora, ut alibi constabit.

Argumenta contraria parum vident. Ad primum dicendum est, obiectum potentiae, & subiectum scientiae totalis à B. Thoma quoad hoc tantum aequiparari, ut sicut potentia propter obiectum suum formale reliqua omnia attingit; ita similiter scientia totalis propter subiectum suum reliqua omnia obiecta respiciat, non vero quoad alia multa, ut superius vidimus, inter impugnandam Thomisticam de obiecti attributionis sententiam. Quapropter etsi obiectum, specificantium potentiae omne quod ei in particulari obiicitur intrinsece claudat, non ob id, subiectum scientiae totalis quidquid in ea subiicitur intrinsece comprehendet. Ad secundum dicendum est, attributum scientiae totalis non esse duntaxat id quod in ea praedicatur, sed multa etiam, quam ea subiiciuntur, ut vel in Theologica constat, ubi praeter Deum, qui est eius obiectum attributionis, plura tamen alia, & si attributa sint, subiiciuntur. Porro attribui aliquid alicui non est tantum de eo quidpiam praedicari, sicut in argumento assumitur, sed est multoties unum in scientia attingi propter aliud, siue in ea subiiciatur, siue solum praedicetur.

Ad tertium. Imprimis subiectum scientiae partialis est illa infima, & explicita ratio, quae in illa subiicitur, & tamen in scientia totali iuxta adversarios subiectum non est collectio omnium earum rationum quae explicitè, & infimè sumptae subiiciuntur, sed potius aliqua ratio communis ab eis abstracta, quae

57

58

prout talis scientiæ de cursu non magis subiicitur, quam prædicatur, v.g. in Metaphysica ens, in Physica corpus vt sic, in Mathematica quantitas, &c. perperam ergo, & incoësequenter à subiecto scientiæ partialis, ad subiectum scientiæ totalis arguitur. Præterea: subiectum scientiæ partialis est duntaxat naturale: quid mirum ergo, si sit id quod in ea suapte natura subiicitur: at superius probatum est, subiectum scientiæ totalis non esse naturale, sed arbitrium: male ergo dicitur esse, quod in ea natura sua subiicitur. Rursus tertio: subiectum scientiæ totalis, vt superius vidimus, debet esse vnum, & distinctum à subiecto cuiusuis alterius scientiæ: collectio autem omnium obiectorum partialium nequit esse quoddam subiectum distinctum omnino à subiecto totali cuiusuis alterius scientiæ, vt nuper ostensum manet. Nec etiā potest esse subiectum vnum, cum potius sit multitudo quadam, & cumulus per accidens. Quod autem ab omnibus subiectis in particulari abstrahatur vna quadam ratio communis, nihil refert: tum quia talis ratio, prout talis, non magis subiicitur, quam prædicatur de cursu totius scientiæ, vt videre est in corpore mobili, v.g. ad Physicam spectante: eius ergo rationis abstractæ vnitas subiectum scientiæ totalis vnum non constituit: tum etiam quia plerique negant, ab omnibus subiectis inadæquatis cuiusuis scientiæ vnam quandam rationem communem abhi posse: namque ens reale, & ens rationis, siue fictitium, sunt subiecta plurium cōclusionum methaphysicæ, cum tamen ab eis iuxta plerique, vt dixi, nulla possit abstrahi ratio communis: quin etiam à Deo, & Angelis, aliisque creaturis, de quibus agit methaphysica, vnam quandam rationem communē etiam entis abstrahi posse inficiantur. Hæc autem ratio non militat in scientiæ partialis subiecto, quod est per se vnum. Ad 4. Dicendum est, plures quidem scientias partiales, siue cōclusiones scientificas cōstituere, & integrare vnam quādam scientiam totalem: Hinc autem illud tantum fieri, omnia subiecta partialia constituere vnum subiectū totale prædicationis quidem, non tamen attributionis, quo de loquimur: qui autem vtrumque subiectum totale iuxta æstimant, rem adstruunt sponte sua inuersissimam, & prorsusque authoribus, ne dicam omnibus, contrarium, vt superius vidimus.

Nona & postrema neothericorum aliquorum sententia est, relationem attributorum ad subiectum tam in scientiis practicis, quam in speculatiuis solum extrinsecam, & arbitrariam esse contendit. Hæc tamen sententia quoad priorem eius partem omnino est falsa, & quoad posteriorem aliquatenus vera; vti ex huius tractatus initio constat.



TRACTATUS VI.

Quas alias conditiones Habere debeant obiecta habituum intellectuum siue scientiarum habitualium.

CAPVT I.

An obiectum scientiæ habitualis esse debeat necessarium, æternumque.



OBIECTVM scientiæ, siue quod perinde habitus, actusque certi, & euidentis debere esse

se necessarium, nec posse esse contingens, aut corruptibile tuentur Arist. lib. 1. Post. c. 7. & 5. Ethic. c. 3. atque cum eo antiqui, & nuper eius alleclæ. Item Academici Pirthonij in eadem fuisse sententia, cum ob id potissime scientias rerum omnium de medio sustulerint, quod cunctas fluere putarint, ac nullius esse stabilitatis. Heraclitus, & Cratylus rerum saltem sensibilem, & sublunarem eadem de causa scientiam negarunt. quamobrem necesse est, vt obiectum scientiæ necessarium esse supposuerint.

Probatur autem hæc sententia. Obiectum scientiæ cuiusuis est connexio prædicatorum essentialiū, vt cum dicitur hominem esse animal rationale, equum esse animal hinnibile, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, Deum esse ens à se Angelum esse substantiam spirituales completam, &c. aut existentialium, & accidentariorum, vt cum dicitur in hyeme esse pluias, in æstate calores, aquam esse frigidam per se, & seorsim ab incurfu, ac violentia agentis contrarij; ignem è diuerso esse similiter calidum, &c. At huiusmodi connexiones, sunt necessariae, vt est luce clarius, ergo & necessaria sunt obiecta scientiarum.

Probatur secundo: Si obiectum actus certi, & euidentis esset contingens, posset ita non esse: ergo posset actui eum representanti subesse falsum: proinde non esset scientia, non certitudo, & euidentia, virtusue vlla intellectualis, sed potius opinio, quam inter intellectus virtutes non commemorat Aristoteles. Nec valet, si respondeas, posse obiectum scientiæ merito suæ contingentie non esse, sed in sensu diuiso scientiæ, non vero composito, propterea, quod illa sit essentialiter alligata, vt si existat, ita se habeat eius obiectum, sicut per eam exprimitur: haud, inquam, hoc valet: nam si scientia est determinata, vt representet quod est in obiecto, ac proinde hoc variato, ipsam mutari, ac non esse opus est, cur è contrario obiectum scientiæ non possit esse necessarium, & essentialiter, aut saltem natura sua destinatum, vt sit re ipsa sicut per scientiam adstruitur.

Oppones tamen primo, scientiam esse de aqua, aëre, & ceteris elementis; item de homine, equo, leone, lapide, & aliis corporibus mixtis: vtraque autem esse necessitatis expertia, & contingentie obnoxia, vt ipso sensu, & experientia dilucet. Respondet Arist. scientiam esse de prædictis rebus, non in singulari sumptis, sed in specie, species autem illarum haud corrumpi, vel interire, solaque indiuidua esse interitui, & corruptioni subiecta. Cæterum, & veritati, & Orthodoxæ fidei parum consonat, totas species haud posse à Deo non produci, productæve non posse destrui per potentiam eius, saltem absolutam: quod si sermo sit de potentia eius ordinaria, ac legibus naturæ adstricta, ita quidem species rerum esse incorruptibiles, & quodammodo necessariae, est satis exploratum: Quocirca Aristotelica solutio quamuis priori intellecta sensu sit improbabilis, at posteriori, suam habet verisimilitudinem, ac probabilitatem. Secundo responderi potest, obiectum potissimum scientiæ esse non terminos simplices, quippe quos magis apprehendendo simpliciter, aut sentiendo interius, exteriusve cognoscimus, quam perfecte affirmando scimus, sed potius connexiones rerum: At elementa, & mixta omnia sub lunæ cauo contenta, quamquam sint simpliciter, & incomplexè sumpta corruptioni obuia, secus tamen quoad eorum complexiones siue conuenientias, vt paulo supra ostensum.

Oppones secundo; diuinam scientiam esse non paucarum